uiro: nonne pulchrum uel hoc ipsum est ex communi intellectu, uerbisq;, quibus utantur omnes, tantum assequi laudis, & gloriæ, & non loqui, & orare, sed (quod pericli contingit) fulgurare ac tonare uidearis? Hæc ita ex Quintiliano pené ad uerbum lib. secundo oratoriæ institutionis.

QVA RATIONE RHETORIcæ inuentio habeatur, unde & eius utilitas quoq; cognoscatur.

QVin & in eundem feré sensum. Aurelius Augustinus sed q̃ breuißime, de utilitate rhetoricæ, ac insuper quamobrẽ ratio in nobis ipsam post Grammaticã atq; Dialecticam inuenerit, in eo libro, quem de ordine inscripsit, disserit hoc modo. Quoniam (inquit) stulti homines plerunq; a dea, quæ suadentnr recte, utiliter & honeste, nõ ipsam syncerißimam (quàm rarus animus uidet) ueritatem, sed proprios sensus consuetudinemq; sectantur, oportebat eos non doceri solũ quantũ conuenit, sed sæpe & maxime commoueri. Hanc suam partem, quæ id ageret, neceßitatis pleniorem q̃ puritatis refertißimo gremio deliciarum, quas populo spargat, ut ad utilitatem suam dignetur adduci ipsa illa in nobis ratio uocauit Rhetoricam. Hæc ille. Quibus & nos pauca addamus, quo citius, ac plenius percipiantur, quæ

ab illo dicuntur, idq; eo præsertim loco ubi ait, oportebat eos non doceri solum, quantum conuenit, sed & sæpe & maxime commoueri: hic ut id quod ait doceri, referendum est ad grammaticã & dialecticam, ita quod protinus subiungit, commoueri, ad rhetoricã. Nam ut grammaticæ & cum primis Dialecticæ officium est docere, ita Rhetoricæ inter cetera eius opera precipuũ est mouere, id quod potißimum fit in contionibus & per orationes. Hactenus de ui & utilitate rhetoricæ, nunc ad ipsam rhetoricam (ut instituimus) transeamus. Finit Tractatus primus.

INCIPIT TRACTATVS SEcundus.

IN TRACTATVM SEcundum præfatio.

SAtis superq; tractatu superiori de ui siue potestate pariter & de utilitate artis rhetoricæ, nec non quã ob rem ipsa inuẽta sit dixisse uideri poßũ. Itaq; deinceps & quidem tractatu proximæ sequẽti de ipsa rhetoric

RHE-
TORICA IOAN-
nis Cæsarij in septē li-
bros siue tractatus, digesta, uni-
uersam ferè eius artis uim
cōpendio cōplectēs nūc
primū & excusa,
& edita.

GENEROSIS ATQVAE OPTIMÆ SPEI ADOLESCENTIBUS IOANNI A VUEDA, & ANTONIO A SCAUENBURGO COMITIBUS, SUIS QUIDĒ FAUTORIBUS CHARISSIMIS, IOĀNES CÆSARIUS. S. D.

IAM DVDVM COGITANti mihi, quidnam tandem rependerē uobis pro beneuolentia erga me ueſtra, magna quidem illa & minime uulgari, qua me ex animo (ut plane animaduerto) amplectimini, & proſequimini ſedulo in mentē uenit extare adhuc apud me, ſed deliteſcere in angulo aliquo collectanea quedam in artem rhetoricā, quæ anno ſuperiori cum dialeticam meam prelegerē ſtudioſis quibuſdam eius artis tum adoleſcētibus tum iuuenibus, collegeram ex optimis authoribus, atq; eadem ſeorſum certis quibuſdam ex eiſdem illis adiutoribus dictaueram rogatus ab ipſis, quæ uidelicet ipſi exciperent, ueluti ė manibus in manus tradita. Atq; hæc proinde nunc ueſtra potiſſimum cauſa in animum induxi ad manus reuocare, atq; recognoſcere, & in ordinem

ordinem aliquem componere. quæ uobis dedicarẽ inuicem, ut per quæ post grãmaticæ & dialecticæ rudimenta mediocriter percepta ad ipsam quoq; rhetoricam aditus aliquis uobis pararetur, & uia utcunq; sterneretur, idq; tãto facilius, quod in his nostris collectaneis elementa tantummodo eius artis contineantur. Esset hic mihi campus profecto amplißimus & apprime opportunus, per quẽ libere decurrerem ad commemorandum, quo me fauore & beneficentia in utraq; uestra familia domestici proceres ijdemq; bene nati prosecuti semper sint, ac prosequantur hodieq; ex ijs præsertim qui in humanis adhuc agunt, ni alio me animus auocaret. Quippe qui in hoc totus iam sum, ut adhorter atq; admoneam uos non modo ad studia bonarum literarum prosequenda, sed & ad pulchros mores ante omnia amplectendos, ut quibus animus præcipue formatur, & indies melior redditur, idq; adeó ut si cui quantumuis erudito illi defuerint, parum ei profuerit literis uel maxime promouisse, Verum quia intelligo ac uideo ipse subinde uos ultro atq; adeó spõte uestra ad ipsa studia ueluti procurrere, & ad pulchros quoq; mores induendos animũ non segniter submittere, ita ut me iam admonitore propemodum opus non habeatis, & tamen id interim quid tentare nocebit? ut ille ait, non possum sanẽ cõmittere, quin campum illum hactenus sepositũ repetam, & decursum interim quoq; posthabitũ de in-

tegro

tegro capessam, hoc est ut de utriusq; familiæ uestræ domesticis illis proceribus eisdemq; bene natis illud quod dicere proposueram, hinc in medium adferam, quod alioqui pudori mihi esset de adeó bené meritis de me, presertim cum iam occasio sese exhibeat, nihil prorsus cõmemorare. Vt ergo ad singulas ueniam, in tua Antoni familia mihi occurrit generosus et illustris comes Adolphus à Scauenburgo frater tuus germanus insignis ecclesiæ Leodiensis præpositus, & nuper electus coadiutor diocesios Coloniensis uir imó iuuenis multis preclaris dotibus, tum animi tum corporis præditus, ut per quas haud dubie ad dignitates illas prouectus sit. Is autem quanto me fauore, beneuolentia, imó & beneficentia prosequatur, quid attinet longius persequi? Sed & in tua mi Ioannes. quis non ex patruis illis tuis uiris me hercle generosis & illustribus me adiuuerit identidẽ beneficijs uel citra meritum, & inter ipsos cum primis generosus & illustris uir Guilhelmus é Vueda comes Morsensis piæ et fœlicis memoriæ. Cuius si meritas laudes persequi hic nunc uellem, dies citius me deficeret. Audeo dicere ac ingenue dicam me non expertum unq̃ uirum meliorem illo ut pote multis magnisq; uirtutibus insigniter nobilitatum, nempe præter singularem prudentiã qua pollebat, fortitudine, liberalitate, magnanimitate, mansuetudine, & ut semel finiam, fide & pietate in deum & homines. Vnde & non iniuria illum

inter

inter priſcos illos heroas numerauerim. Cæterum reliquos tuos patruos prudens hic nunc ſilentio tranſeo, ne ſi illorum uirtutes & ab his meritis laudes referre ac recenſere ad plenum uellem, epiſtolæ modum excederem. Itaq; hic finem tandem faciam, & uos illius tantummodo ſemel admonitos uolo. ut illorũ, quos ſupra iam recenſui; ueſtigijs pro ſua uterq; uirili innitamini atq; inſiſtatis rem interim facturi uobis minime unq̃ pœnitendã. Bene ualeat uterq; ueſtrum. Coloniæ ex ædibus meis Anno Milleſimo, quingenteſimo, triceſimo quarto, menſe Auguſto.

AVTORVM EX QVIBVS HOC opuſculũ collectũ atq; conflatum eſt, nomina hæc fere ſunt.

Ariſtoteles. Cicero.
Quintilianus. Plinius.
Suetonius. Auguſtinus.
Sulpitius Victor. Victorinus.
Plutarchus. Chirius fortũatian9.
Aphthonius. Martianus capella
Boetius. Georgius. Trape/
Franciſcus Maturancius. (zuntius
Philipus Melanchthon.

EX GRAMMATICIS & Poetis.

Virgilius. Horatius.
Ouidius. Iuuenalis
A. Gellius. Diomedes.

IN COMPENDIARIAM ARTIS Rhetoricæ inſtitutionem, utpote quæ prima eius artis rudimēta hoc eſt capita tantū amplectatur, Ioannis Cæſarij præfatio.

TRACTATVS PRIMVS.

TAmetſi Rhetorica una eſt ex iꝭs artibus, quæ communiter triuialis (ut quibuſdam placet) à triuio, in quo olim tradebantur, aut etiā ſermocinales dicūtur, quod circa ſermonem peculiariter uerſentur, uel quod ad ſermonem hoc eſt ad orationem tendant, quæ quidem artes ſunt numero tres, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, non tamen, ut Grammatica à literis orditur & ſyllabis, quæ primæ & minimæ eius artis partes ſunt, nec ut Dialectica à ſimplicibus uocibus, quæ prædicamēta appellantur, quæ & ipſa nimirum in ea arte prima & minima habentur, ſic et

Rhetorica aut à literis & syllabis, aut à simplicibus uocibus ueluti principijs, siue elementis quibusdã auspicatur, hoc est exordium capit, sed ad solam se cõfert orationẽ, quàm instruat suis ipsius ad hoc utens præceptis, at non qualem Grammatica ex dictionibus simpliciter componere docet, nempe congruam aptamq; ad exprimẽdum mentis conceptũ, neq; qualem Dialectica instituit, ut in qua ueritas falsitasué deprehendatur, tum & per quàm aliud ex alio inferatur, siue per quàm aliud quippiam ex ijs quæ posita sunt, colligatur. Cuiusmodi tamen orationibus ut & uerbis ipsa interim utitur uelut à superioribus illis artibus mutuo acceptis, sed non plane gratuito, aut etiam absq; fœnore. Quippe quæ ornatum illis addit & splendorem. Vnde & talem cum primis orationem molitur, per quã quisquis huius artis præceptis probe institutus fuerit, ut est orator, is tum copiose, tum apposite de quacũq; re proposita dicere poterit, in hoc præsertim ut persuadeat, Verum quia huiuscemodi oratio non poterit ab aliquo institui, neq; commode tractari ad finem artis, ut pote quæ multo longior sit reliquis duabus. imó quæ certis eisdemq; magnis ex partibus constet nisi ab eo qui prius didicerit, quibus rebus eum qui ad dicendũ apparatur instructum esse oporteat, tum quemadmodũ siue quo ordine de illis dicat is qui ad dicendũ iam instructus accedit, & quibus interdicendum uerbis utatur, & ꝗ

eidem

eidem nisi firma adsit memoria, frustra talis comparatur oratio, ut cui nec suppetit apta decensq; pronuntiatio. Quæ sane omnia quia sola Rhetorica nobis suppeditat atq; subministrat, de ipsa iam post Grammaticam & Dialecticam dicendum nobis, & tractatus aliquot parandi. Primum igitur dicendum, quid sit Rhetorica, & quot eius partes, tum quod officium eius, & quis finis, & quot genera causarū, circa quæ orator cum plurimū uersatur, quæ etiam ciuiles quæstiones appellātur, necnon qui in unoquoq; genere causæ auditores habeantur. Postremo autem & de ipsa oratione, quæ (ut uult Boethius) ipsius artis instrumentum habetur, & quibus & quot partibus illa cōstet, & quod opus siue effectus artis. Quibus quidem breuiter & tanq̄ per compendiū à nobis tractatis atq; expositis, facilior erit (ni falor) studiosis huius artis aditus atq; accessus ad magnos eiusdem artis authores, hoc est ad eos, qui exactius & copiosius de hac arte scripserunt, & præcepta tradiderūt. Inter quos mihi non postremus habendus est Philip. Melanch. (id quod citra adulationem dico) uir profecto acri & magno iudicio, & exactissimus triuialium disciplinarum scriptor, ut cuius proinde lucubrationes passim circumferuntur, & leguntur, non sine profectu multorum. Cæterum priusq̄ nos hæc omnia, quo ordine paulo supra à nobis anotata sunt, aggredi tentemus, non inutile fortassis fuerit indicare, quæ

 sit hu

5

ſit huius artis utilitas, idq; ex non uulgaribus authoribus, ut ac ſcilicet utilitate percepta, lubentius animũ ſuũ huic quoq; arti admouerint, quicunq; bonarum artium cupidi alioquin ſunt & ſtudioſi. Quos etiam nun hic admonitos uolo me interim dum artis Rhetoricæ capita tantummodo colligo, nihil fere de meis adijcere inuentis (& quid enim dici iam poteſt quod non ſit dictum prius, ut ille ait) ſed omnia maxima ex parte ex magnis illis huius artis authoribus decerpere, & in unum ueluti faſciculum, hoc eſt ſummam atq; compendiũ componere non ad alium ſanè uſum, quàm ut ſupra dixi.

QVOD MAGNA SIT INTER Grammaticam, Dialecticam & Rhetoricã cognatio, tum ueró quemadmodũ diſferant inter ſe diſtentq;.

EX prædictis liquido patere poteſt, quod non ſolum differant inter ſe diſtentq; Grãmatica, Dialectica, & Rhetorica ſuis ſcilicet ac proprijs finibus, ſed & cognatæ ſibi inuicem ſint. Cognatio autem hæc inter eas ex eo eſſe dicta eſt, quod cõmuni nomine appellentur tum triuiales, tum ſermocinales, imó uero quæ & à

nonnullis rationales præterea appellantur, nec id quidem ab re. Quippe quæ ea nobis suppeditant, quibus ratio redditur de dubijs ac incertis ꝓpositis. Verum hic nunc fortaßis dubitabit quispiam. quonam pacto illud de grammatica quoq; dici aut etiam intelligi poßit? Certe si huic arti poëtica subiecta est, & historia item, ut multorum certa est sententia & opinio, habet utiq; & grãmatica, unde fidem faciat probetq́; aliquid, ac rationem quodammodo reddat, loco aliquo (ubi & quando res postulauerit) ex historia maxime probata desumpto, aut adducta fabula ex his præsertim fabulis, quæ Aesopi cuiusdam nomine circũferuntur celebranturq́;. De fabulis quidem huiusmodi paulo altius à nobis repetetur tractatu tertio, ubi de argumentis agemus. Cæterum si propositæ rei ad præsens exemplũ quæris, habes in promptu apud Pliniũ de illustribus uiris Meneniũ Agrippam, qui rebellanti aduersus Senatum plebi Romanæ præposita tantummodo fabula ex Aesopo de uentre ob ingluuiem à cæteris humani corporis mẽbris accusato persuasit, ut cum Senatu absq; ulla cunctatione in gratiam rediret. Non iniuria igitur cognatæ inter se dicte sunt tres supradictæ disciplinæ. Quas proinde si quis seperauerit, ac non potius eas sibi coniunxerit ac cumulum studiorum, is profecto uix docti hominis nomen merebitur, qnantumuis in una aut altera earum profecerit. Cæterũ hanc cognationem

nem maiorem habet Rhetorica cũ Dialectica quã cũ Grãmatica, atq; id ita esse testatur Aristoteles quoq; ipse in initio statim eius operis quod de arte rhetorica ad Theodecten inscripsit, adeoq; ut dicat, rhetoricam cum dialectica conuerti, uel (ut paulo apertius dicam) æquiualentem esse dialecticæ. Eius autem hæc sunt uerba ἡ ῥητορική ἐστὶν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ Nã de talibus quibusdã (inquit) utraq; est, quæ cognoscere quodammodo omnium communiter est, nullius definitæ determinatæq; sciẽtiæ. Quin & de fide faciunda rhetoricam ait uiam esse & rationem artificiosam, fidemq; potißimum demonstratione fieri, quod utiq; ipsa rhetorica (ut alibi ab eodem dicitur Aristotele) per exempla facit & enthymemata. Enthymema porrò demonstratio Rhetorica est, id quod præcipuũ est in persuasione. Hactenus hæc de tribus inter se cognatis artibus Grammatica, Dialectica & Rhetorica dicta sufficiant. Vnde hinc nunc ad rem quàm quærimus, propius accedamus.

QVID POSSIT HAEC ARS, unde & eius utilitas quoquo modo intelligatur.

ITaq; quid poßit rhetorica, unde & eius utilitas quodammodo intelligatur, primum hinc ex Cice. dicamus. Is enim in præfatione operum Rhetorico-

rum

rum de inuentione, ita de eius ui & potestate inter alia præfatur. Fuit (inquit) tempus quoddam, cum in agris homines bestiarum more uagabantur, & sibi uictu ferino uitam propagabant, nec ratione animi quicq̃, sed pleraq; uiribus corporis administrabãt. &c Quo tempore (idem delende ait) quidam magnus uidelicet uir & sapiens cognouit, quæ materia esset, & quanta ad maximas res oportunitas animis inesset hominũ, si quis eam posset elicere, & præcipiendo meliorem reddere, qui dispersos homines in agris & in tectis syluestribus abditos ratione quadã compulit in unum locum & congregauit, & eos in unamquamq; rem inducens utilem atq; honestam, primo propter insolentiã reclamantes, deinde ꝑpter rationem atq; orationem studiosius, audientes ex feris & immanibus mites reddidit & mansuetos. Vnde & mox idem subdit. Ac mihi quidem (inquiens) uidetur hoc nec tacita, nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines à consuetudine subito conuerteret & ad diuersas uitæ rationes traduceret. Hucusq; Cicero.

CVIVSMODI HIC MAGNVS *& sapiens uir fuerit, exemplo quodãmodo declaratur, ex eodẽ Cicerone.*

SAne hic magnus & sapiens cuius nomen Cicero

non

non exprimit, talis uideri poteſt fuiſſe uir, qualis Orpheus ab Horatio in arte poëtica deſcribitur, aut Amphion, quorū uterq; ratione haud dubie uſus & oratione tale quid feciſſe ab eodem dicitur, quale quid Cicero ſapientem illum ſuum & magnum uirum feciſſe ait. Et licet Horatius ipſe Orpheum & Amphionem inter poëtas & uates cōnumeret, ut etiā erāt, tamen cum id facerent quod ab eo feciſſe narrantur, non iam tum poëtas aut uates ſed oratores potius agebant. Verſus autem quibus in arte de ipſis hæc dicit Horatius, hic nunc ſubijciam.

Sylueſtres homines ſacer, interpresq; deorum,
Cædibus & uictu fœdo deterruit Orpheus.
Dictus ob hoc lenire Tigres, rapidosq; Leones,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis.
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda.
Ducere quo uellet, fuit hec ſapientia quondam,
Publica priuatis ſecernere, ſacra prophanis,
Concubitu prohibere uago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Talis quoq; uir & à Virgilio in primo Aeneidos deſcribitur, imó ſuis uelut coloribus depingitur, cum ait.

At ueluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſæuitq; animis ignobile uulgus.
Iamq; faces & ſaxa uolant, furor arma miniſtrat.
Tum pietate grauem & meritis ſi forte uirum quē,
Conſpexere, ſilent, arrectisq; auribus aſtant.

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

DE VTILITATE ARTIS RHEtoricæ ex Quintiliano.

AT nunc etiam ex Quintiliano grauiſsimo ſane authore pauca in hoc collecta ut huius artis utilitas plenius intelligatur, hic ſubijcere non grauabor, ut uel hoc pacto illis ſatis fiat, qui artem hanc ut pernitioſam & inutilem calumniari non uerentur. Quidam (inquit ille) uehementer in ipſam artem inuehi ſolent, & (quod ſit indigniſsimū) in accuſatione orationis utuntur orandi uiribus. Eloquentiam eſſe aiunt, quæ pœnis eripiat ſceleſtos, cuius fraude damnentur interim probi, conſilia ducantur in peius, nec ſeditiones modo turbæq; populares, ſed bella etiā inexpiabilia excitentur, cuius deniq; tum maximus ſit uſus, cum pro falſis contra ueritatē ualet. Ex his adijciunt exempla Græcorum Romanorumq́;, & enumerant eos, qui pernicioſa non ſingulis tantum, ſed rebus etiam publicis eloquentia uſi turbauerunt ſtatus ciuitatum & euerterunt, eoq; & Lacedemoniorum ciuitate expulſam, & Athenis quoq́; ubi actor mouere affectus uetabatur, uelut reciſam orandi poteſtatem. Hactenus ſic illi contra artem. quibus mox artis columniatoribus ita ex aduerſo, & ueluti κατ' ἀντιστροφον hoc eſt per inuerſionem idē Quintilia-

nus

nus occurrit atq; respõdet eisdem pro ipsa arte, quibus illi contra utens argumentis. Quo (inquit) modo nec duces erunt utiles, neq; magistratus nec medicina, nec deniq; ipsa sapientia. Imo quis nescit ignes & aquas, sine quibus nulla sit uita, & (ne terrenis immoremur) solem lunamq; præcipua syderum aliquando etiam nocere? Num igitur negabitur Pyrrhi pacem cœcus ille Appius dicẽdi uiribus diremisse? Aut non diuina. M.T. Ci. eloquentia Catilinæ fregit audatiam? Nonne perterritos militum animos frequenter à metu reuocat oratio? Equidem nec urbiũ conditores reor aliter effecturos fuisse, ut uaga illa multitudo cogitet in populos, nisi docta uoce commota, nec legum repertores sine summa ui orandi consequutos, ut se ipsi homines ad seruitutem iuris astringerent. Quin ipsa uitæ præcepta etiam si natura sint honesta, plus tamen ad formandas mentes ualẽt, quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat: Quare etiam si in utramq; partem ualent arma facundiæ, non est æquum id haberi malum, quo bene uti licet. Præterea si est orator in primis uir bonus, & Rhetorica bene dicendi scientia, utilem certe esse eam confitendũ est, Et hercle deus ille princeps parens rerum, fabricatorq; mundi, nullo magis hominẽ sæparauit à cæteris (quæ quidem mortalia essent) animalibus, quã dicendi facultate. Nam corpora quidem magnitudine, uiribus, firmitate, patientia, uelo-

citate,

titate, præstantiora in illis mutis uidemus, eadẽ minus egere acquisitæ extrinsecus opis. Nam & ingredi citius & pasci, tranare aquas citra docentem natura ipsa sciunt: Et pleraq; contra frigus ex suo corpore uestiuntur, & arma his ingentia quædam, & ex obuio feré uictus, circa quæ omnia multis hominibus labor est, Rationem igitur nobis præcipuam dedit, eiusq́; nos socios cũm dijs immortalibus esse uoluit. Sed & ipsa ratio neq; tam nos iuuaret, neq; tam in nobis esset manifesta, nisi quæ concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus, quod magis deesse cæteris animantibus, q̃ intellectum, & cogitationem quandã uidemus. Nam & moliti cubilia, & nidos texere, & educare fœtus, & excludere, quin etiam in hyemem reponere alimenta, opera quædam nobis inimitabilia (qualia sunt cærarum & mellis) efficere non nullius fortaßis rationis est. Sed quia carent sermone quæ id faciunt, muta atq; irrationabilia uocantur. Deniq; homines, quibus negata uox est quantulũ adiuuat animus ille cœlestis: Quare si nihil à dijs oratione melius accepimus, quod tam dignũ cultu, ac labore ducamus, aut in quo malimus præstare hominibus, q̃ quo ipsi homines cæteris animalibus præstent: Eo quidem magis, quod nulla in parte plenius labor gratiã refert. Nam ut ommitã, defendere amicos, regere consilijs senatum, populũ, exercitum in quæ uult ducere, q̃ sit utile, conueniatq́; bono

niro: nonne pulchrum uel hoc ipsum est ex communi intellectu, uerbisq́;, quibus utantur omnes, tantum assequi laudis, & gloriæ, & non loqui, & orare, sed (quod pericli contingit) fulgurare ac tonare uidearis? Hæc ita ex Quintiliano pené ad uerbum lib. secundo oratoriæ institutionis.

QVA RATIONE RHETORICæ inuentio habeatur, unde & eius utilitas quoq; cognoscatur.

Qvin & in eundem feré sensum. Aurelius Augustinus sed q̃ breuißime, de utilitate rhetoricæ, ac insuper quamobrẽ ratio in nobis ipsam post Grammaticã atq; Dialecticam inuenerit, in eo libro, quem de ordine inscripsit, disserit hoc modo. Quoniam (inquit) stulti homines plerunq; a dea, quæ suadentnr recte, utiliter & honeste, nõ ipsam syncerißimam (quàm rarus animus uidet) ueritatem, sed proprios sensus consuetudinemq; sectantur, oportebat eos non doceri solũ quantũ conuenit, sed sæpe & maxime commoueri. Hanc suam partem, quæ id ageret, neceßitatis pleniorem q̃ puritatis refertißimo gremio deliciarum, quas populo spargat, ut ad utilitatem suam dignetur adduci ipsa illa in nobis ratio uocauit Rhetoricam. Hæc ille. Quibus & nos paucæ addamus, quo citius, ac plenius percipiantur, quæ

ab ille

ab illo dicuntur, idq; eo præſertim loco ubi ait, oportebat eos non doceri ſolum, quantum conuenit, ſed & ſæpe & maxime commoueri: hic ut id quod ait doceri, referendum eſt ad grammaticā & dialecticam, ita quod protinus ſubiungit, commoueri, ad rhetoricā. Nam ut grammaticæ & cum primis Dialecticæ officium eſt docere, ita Rhetoricæ inter cetera eius opera precipuū eſt mouere, id quod potiſsimum fit in contionibus & per orationes. Hactenus de ui & utilitate rhetoricæ, nunc ad ipſam rhetoricam (ut inſtituimus) tranſeamus. Finit Tractatus primus.

INCIPIT TRACTATVS SEcundus.

IN TRACTATVM SEcundum præfatio.

SAtis ſuperq; tractatu ſuperiori de ui ſiue poteſtate pariter & de utilitate artis rhetoricæ, nec non quā ob rem ipſa inuēta ſit dixiſſe uideri poſsū. Itaq; deinceps & quidem tractatu proximæ ſequēti de ipſa rhe-

torica dicturus quid sit, & quot ex partibus constet fortaßis rem non superuacuã omnino facere uidebor, si eius nominis originem prius explicauero: uidelicet quod longe aliud sit nosse, quid nomen aliquod significet, & quid sit, quod per nomen ipsum significatur. Rhetoricæ igitur sicut & Rhetor, inde deduci uidetur) ut authori magno ethimologico placet (unde & ῥῆμα, quod nomen apud latinos uerbum interpretatur, & apud grecos inter octo orationis partes secundum obtinet locum. ῥῆμα autem deducitur ἀπὸ τοῦ ῥέω siue ῥῶ per contractionem uerbo inusitato, quod dico significat, & in futuro facit ῥήσω unde ῥῆσις id est dictio, & in præterito perfecto paßiuo ἔῤῥημαι unde ῥῆμα, & in eius tertia persona ἔῤῥηται hinc ῥήτωρ & ῥητὴρ, quorum utrunq; dictor interpretari potest, & ῥητορικὸς nomen possessiuũ, cuius deinde fœmininũ ῥητορική pro ipsa arte usurpatur, nempe dicendi. Sicut grammaticæ pro arte loquendi, & dialectice pro arte differendi.

DE RHETORICA QVID sit, & quot eius partes.

RHetorica, quæ uoce græcanica ita dicitur, ut dictum est, ab eodem Quintiliano lib. secundo oratoriæ institutionis definitur bene dicendi scientia. Quo tamẽ loco scientiæ nomen cõmuniter non proprie

prie accipere debemus, ut & ars intelligatur, aut etiam facultas. nam utroq; hoc nomine proprie dicitur, ut pote ars siue facultas bene dicendi. Verum hanc thetoricæ definitiones, utcunq; etiam dixeris. Sulpitius Victor non recipit, ut parum plenam. Nã & medicus (inquit) potest de his, quæ ad medicinã attinent, bene dicere, & cæteri item artifices de suis artibus habent bene dicendi scientiam. Quapropter ut plena sit hæc deffinitio, addendam uult ille particulam in quæstione ciuili, ut in qua artis materia simul cum officio eiusdem comprehendatur hoc modo. Rhetorica est benedicendi scientia in quæstione ciuili. Sed si Gorgio Leontino (ut author est Cicero in rhetoricis de inuentione) credimus, de omnibus utiq; rebus dicere oratoris est. Et hæc quidem de definitione artis. Cuius partes ab omnibus numero quinq; traduntur, Inuentio, Dispositio, Elucutio, Memoria, & pronuntiatio. Quæ & ideo partes rhetoricæ habentur (ut Boethio placet) quod ex his ueluti integratur ipsa & constituitur, Imò uero uel ob id quod si earum aliqua defuerit oratori imperfecta ars siue facultas erit.

DE OFFICIO RHETORICAE seu ipsius oratoris, & quis finis artis.

OFficium oratoris Cicero ad Herennium libro primo, statim in ipso operis principio, aut si

quis alius eius operis author fuit, ita definit. Oratoris officium est, de his rebus posse dicere, quæ res ad usum ciuilem moribus & legibus constitutæ sunt, cum assentione auditorum, quo ad eius fieri poterit. Idem in rhetoricis de inuentione, ubi tamen prius, quo in genere hæc ars siue facultas ponenda sit ostenderit. Quippe qui eam mihi ciuilis scientiæ partem facit, quæ certe ciuilis scientia ea ipsa est quæ alio nomine prudentia siue ciuilis sapientia appellatur, ita huius artis tum officium, tum finem definit. Officium eius facultatis (inquiens) esse uidetur, dicere apposite ad persuasionem, finis uero persuadere dictione. Hic Martianus Capella addit, id quod propositum est, ut sit plena eius definitio, hoc modo. Finis rhetoricæ est, persuadere id quod propositum est dictione. Addit præterea Boethius, ut præter calumniā finis rhetoricæ id esse dicatur, quod dicitur, has particulas, tū in ipso tū in altero. In ipso quidem, hoc est in oratore, benedixisse, quod quidē est dixisse ad persuasionē. In altero uero, hoc est in auditore, persuasisse. Nā non semper persuadet orator, nec tamen interim nomen oratoris amittit & facultatem, dummodo officio suo rite fungatur. Cæterū post Ciceronem Quintilianus libro secundo, ubi de fine artis rhetoricæ plurimorū scriptorū opiniones ad longum recensuit, suam demū sententiā adijcit his uerbis. Nā si rhetorica (inquit) bene dicendi scientia est, finis & summū eius est benedicere.

nedicere. Benedicere igitur finis sit interim Quintiliano artis oratoriæ, Nos Ciceronem in hoc iam sequamur, ut qui ab omnibus sanè eruditis facile princeps huius artis iudicatur, & id quidem ille de se non tam scribendo q̃ dicendo declarauit.

QVID INTERSIT INTER officium & finem.

IDem Cicero in rhetoricis de inuentiõe inter officium & finem hoc interesse dicit, quod in officio quid fieri in fine quid officio conueniat consideratur: ut medici(inquit) officium esse dicimus curare ad sanandum apposite, finem uero curatione sanare. Itẽ oratoris quid officium, & quid finem esse dicamus, intelligimus, cum id quod facere debet, officium esse dicimus, illud autem cuius causa facere debet, finem appellamus. Animaduertendum sanè hic est ex Marco Fabio Victorino eius operis expositore, quod in definiendo tum officio, tum fine artis rhetoricæ Cicero alterum cũ altero commiscet atq; coniungit & recte quidem. Nam ut officium omne ad finem spectat, ita finis contra ad officium defertur. Ergo cum officium definit Cicero, quod est apposite dicere, protinus subiungit, ad persuasionem, hoc est finem officio annectit. Rursus cum finem definit persuadere itidẽ mox addit dictione, officium scilicet cum fine commiscens. Neq; id quidem ab re. Nam persuadetur ta

bulis, tormētis, testibus, & alijs multis rebus. Quod cum sit, non maius oratoris est, q̄ alterius cuiuspiam. Solus autem oratoris est persuadere dictione. Sicuti medici officium est sanare non quomodolibet, puta aut incantatione, aut ligaturis, sed curatione, hoc est arte medendi. Curare enim alias mederi quoq; significat. Cæterum ubi addidit Victorinus paulo superius & alijs multis rebus, subaudi (ut ex Quintiliano colligitur li. supra citato) pecunia, gratia, dignitate, & postremo affectu etiam ipso, quo uel recordatio meritorum cuiusq;, uel facies aliqua miserabilis, uel formæ pulchritudo sententiam dictat sine uoce.

DE AVDITORIBVS ET QVAE sit illorū differentia ex Martiano Capella.

Nunc etiam, quia de auditore paulo supra mētio facta sit, illud huic loco adijciamus, ac dicamus coram quibus auditoribus orator dicere soleat, & quæ inter ipsos differentia sit. Auditorū (inquit ille) tria genera sunt, id est tres sunt differentiæ. Ex is unus est qui secundum æquitatem aliquid statuit audita prius parte utraq; eorum qui coram ipso contendunt, & is iudex dicitur: cuius officium est soluere reum, uel damnare, possessionem dare, uel auferre. Alter, qui rei ꝓpositæ honestate adhuc uel utilitate incerta dubius, alienæ sententiæ persua-

ſsionem imó iudiciū expectat, & hic deliberator appelari poteſt: cuius officium eſt alteram deliberationis partem amplecti. Tertius, qui facti honeſtatem uel turpitudinē libera eſtimatione ueluti arbiter perpendit, quem proinde eſtimatorē conuenit nominari: cuius officium eſt æſtimate, laude ne dignus ſit, an uituperatione is, quem laude dicendo proſecutus eſt, aut uituperatione orator. Sanè ſciendum, ꝗ triplex hæc auditorum differentia, tribus cauſarum generibus, de quibus mox dicemus, ex æquo reſpondet.

DE TRIBVS CAVSARVM generibus.

TRia eſſe genera cauſarum, quæ recipere debet orator, hoc eſt circa quæ maxime uerſatur, inter omnes huius artis ſcriptores cōuenit. Demonſtratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale. Quæ & ab eiſdem ferè omnibus ad hunc modum finiuntur. Demonſtratiuum genus eſt, quod attribuitur in alicuius certæ perſonæ laudem uel uituperationē cum amplificatiōe Eius duas faciunt partes, laudem, & uituperationē. Laus eſt oratio amplificatiua rerum bonarum, quas certæ perſonæ orator ineſſe dicit. Vituperatio contra oratio eſt amplificatiua rerum malarum, duas certæ perſonæ orator ineſſe dicit. Deliberatiuum genus eſt, quod poſitum in conſulatione habet in ſe ſuaſionē & diſſuaſionem. Suaſio eſt oratio deliberatiua, quæ in

consulatione primum quid faciendum sit ostendit. Dissuasio contra oratio est, qua auditoribus hoc est deliberatoribus alterã partem, ac suasione ostensum est, persuadere conamur. Iudiciale porró genus est, quod positum in controuersia habet accusationem in se & defensionem. Vnde & huius itidem partes duas faciant, accusationem & defensionem. Accusatio est oratio iudicialis, qua aduersarium aut in crimen, aut in debitum rapimus. Defensio contra oratio iudicialis, qua aut crimen, aut debitum à se aduersarius depellit. Sed & sciendum hic est quod huiusmodi causæ, in quibus orator dictus est uersari, alias à quibusdam ciuiles quæstiones appellantur, ut supra quoq; annotauimus, de quibus inter hos quid sentiat Chirius Fortunatianus, & Aurelius Augustinus, hic nunc subiiciamus.

DE CIVILIBVS QVAESTIONIbus cuiusmodi sint, & cur ita dicantur.

QVoniam autem nulla prædictarum causarum ab oratore suscipitur unq̃ tractanda, nisi in quæstionem prius deducta fuerit, & id quidẽ inter ciues præsertim, unde etiam ciuiles quæstiones ipsæ causæ appellari ceperunt, de his nunc etiam dicamus, cuiusmodi sint tum ex Chirio Fortunatiano, tum ex Aurelio Augustino, q̃ apud utrunq; horum

de his

de his scriptum ab eis relictũ extet. Sunt autem ciuiles quæstiones (uterq; ait) quarum perspectio in communem animi conceptionem cadere potest. Verũ ut planius ac facilius intelligatur, cuiusmodi sit harũ quæstionũ conditio, quã certe hic nunc demonstratã esse uolumus, id ita ex his quæ sequuntur discere licebit. Omnia quæcunq; huiusmodi sunt, ut ea nescire pudoris sit, & quæ uel ignorantes, quasi tamen sciamus, cum simulatiõe præ nobis ferimus, quotiescunq; in dubitationem uocantur efficiunt ciuilem questionẽ Quod dico, huiusmodi est. Si de pondere alicuius rei quæratur, si non uidearis scire, quot librarum sit, nõ est tibi ob id erubescendum. Similiter si de longitudine eiusdem, uel alterius cuiuspiã rei interrogatus non uidearis scire, quot pedũ sit, ne tũc quidã tibi erubescẽndũ est. Sic de cæteris huiusmodi rebus, quas ꝓsequi longũ est, & ideo quoties in dubitationẽ uenerint, licet faciant quæstionẽ tamẽ ciuilẽ quæstionẽ facere nõ possunt. At ubi quæritur, sit ne aliquid iustum an iniustum, honestũ an inhonestum, laudandũ an reprehendendũ, præmio afficiendũ an supplicio, utile an inutile & si quæ huiusmodi sunt, nemo non etiã extra omnem artem & scientiam collocatus erubescat, si hæc nescire uideatur. Inde est quod omnes persuasum habeãt aut certe alijs persuadere non dubitent se posse animo concipere discrimen iusti & iniusti, honesti & inhonesti, cæterorumq; quæ supra diximus, & iccirco quæ

co quæ dubitationes in huiusmodi rebus oriuntur, ciuiles quæstiones uocantur, quasi non propriæ paucorum sed communes uniuersorum. Quę cum ita sint merito quæ communi animi conceptione perspici possunt, quæstiones ciuiles uocantur, & hæ sunt, in quibus uersari & præstare cum primis orator debebit. Hactenus de ciuilibus quæstionibus. Quarum etiam eadem genera sunt numero tria, quæ supra dicta sunt ipsarum esse causarum, quæ & ab alijs quibusdā quoq; nominibus appellantur. Concionale, quod & deliberatiuum. Sermocionatiuū q, & Demonstratiuū Forense quod & Iudiciale dicitur.

QVOD VNICVIQVE HORVM certum quoq; tempus accomodetur, ut etiam finis ex Aristotele.

ILlud quoq; non uidetur hoc loco prætereundum, quod unicuiq; trium dictorum generum certum aliquod tempus accommodetur iuxta ipsius temporis triplicem differentiā, quemadmodū illud docet ac tradit Aristoteles in rhetoricis ad Theodecten. Deliberatiuo quidem generi tempus accommodatur futurū. De futuris quippe consulit siue deliberat tum suadens tum disuadens. Iudiciali uera præteritum. Si quidem de præteritis, siue de factis quod perinde est (ut & ipse loquitur Aristoteles, sed lingua sua, nēpe græca

περὶ

περί τῶν πεπραγμένων) semper alter accusat, alter defendit. Demonstratiuo autem tempus præcipue præsens. Nam omnes secundum ea quæ præsentia sunt, aut laudant aut uituperant. Quin & præteritis plerunq; ad hæc utuntur in memoriam illa quæ facta sunt, reducentes futura quoq; de eisdem coniicientes. Horum præterea unicuiq; alius finis existit. Nam cum triplex sit differentia eorum, qui dicendi munus obeunt, triplex quoq; finis erit, ad quem quisq; eorũ spectat dicturus. Deliberanti quidem finis est utile, & quod huic opponitur, inutili. [Nam qui suadet, is ad melius siue quod utilius est, hortatur, contra qui disuadet, à contrario dehortatur. Iudicanti uero finis iustum & iniustum. Demonstranti porró, hoc est tũ laudanti tum uituperanti, honestum & turpe. Verũ tamen ut iudicãs obiter honestum atq; turpe assumit, ita demonstrator interim iustum & iniustum, ad quæ etiam deliberans nonnunq̃ spectat, ut quod honestũ est & iustum suadeat, quod turpe & iniustum dissuadeat.

DE INSTRVMENTO ARTIS sine facultatis rhetoricæ, tum & de instrumentis ipsius oratoris.

SEd nunc eo unde digreßi sumus, reuertamur, & quod sit artis instrumentum dicamus, tum & de instrumentis

strumentis ipsius oratoris, postremo autē & de opere oratoris. Instrumentū artis (ut diuo Seuerino Boethio placet) oratio est, quod & ipse ita persuadet, Quoniam omnis (inquiens) facultas instrumento utitur ad faciendū quod potest, etiam rhetoricæ facultatis aliquod erit instrumentum. Hoc autem est oratio cuius deinde sex partes subiungit, Quæ sunt, Exordium siue prohæmium, Narratio, Partitio siue diuisio, Confirmatio, reprehensio, quæ & Confutatio dicitur, postremo Peroratio. Hactenus Boethius hæc de instrumento artis, de quo & partibus eius postea à nobis suo loco latius dicetur. Interim autem & illud huic loco addamus, quod Quintilianus duodecimo de oratoria institutione libro de instrumentis, nō artis (ut quidam) inquiens (putauerunt) sed ipsius oratoris dicit, quæ quidem sunt (ut ex eodem libro paßim colligere licet) tum ea cum primis cognitio, qua mores formantur, tum scientia iuris ciuilis, & præter hæc cognitio historiarum. Nam cum sit orator uir bonus, dicendi peritus, iam ut fieri non potest, ut circa uirtutem & omnis honesti iustiq; disciplinam sit uir bonus, ita quoq; fieri non potest, ut absq; multarum rerum cognitione sit dicendi peritus. Hæc ergo ut arma ad manū habere, horum scientia succinctus esse debet, accedente uerborū figurarumq; facili copia, & inuentionis ratione, & disponendi usu & memoriæ firmitate & actionis gratia atq; decore. Sed

re. Sed plurimum ex his ualet animi præstantia, quã nec metus frangat, nec acclamatio terreat, nec audientium authoritas ultra debitam reuerentiã tardet. Nam ut abominanda sunt contraria his uitia, confidentiæ, temeritatis, improbitatis, arrogantiæ, ita citra constantiam, fiduciam, fortitudinem nihil ars, nihil studium, nihil profectus ipse profuerit, uelut si des arma timidis & imbellibus. Subiungit non multo post & alia quædam instrumenta idem Fabius sic dicens. Sunt & naturalia (que tamen & cura iuuantur) instrumenta, uox, latus, decor, quæ quidẽ tantum ualent, ut frequenter famam ingenij faciant. Cõcludit demũ de oratore hucusq; locutus. Talis (inquit) esse debet orator & hæc scire.

QVOD NON AB RE ORATIO instrumentum artis rhetoricæ ducatur, simul & de usu & apparatu ipsius oratiõis.

SEd & altius repetamus ex Plutarcho græco authore sanè non in eleganti, quod diximus ex sententia Boethij orationem rhetoricæ facultatis esse instrumẽtum, nec non & de usu & apparatu oratiõis ex eodem. Is in eo libro, quem ad Traianum Imperatorem de politicis inscripsit, uolens illi eloquentiam commẽdatam esse, post alia alijs de rebus documenta, de hac ita exorditur. Ad hæc (inquiens) ius ciuile, & gratia

eloquentiæ non in postremis ducenda est, uirtute magistra & principe. Rhetoricam enim non suadendi opificem, sed adiutricem esse existimare debemus. Vnde illud Menandri corrigēdū uenit, qui dicit, Mores dicentis sunt, qui persuadent, non oratio. Seu re uera, utrunq; (Plutarchus ait) est, Quod rem efficit, hoc est persuadet mores nimirum & oratio, quod quidem & ita declarat. Nam sicut nauis (inquit) dirigitur non à gubernatore duntaxat, sed clauo quoq; & ut eques qui in gyrum equnm uersat id non facit absq; freno ita ciuitas oratoris quidem uita regitur & moribus sed non sine oratione, nempe qua ueluti aliquo clauo & freno utatur, ut per quàm una suadeat afficiat, flectat, ducatq; multitudinē. Vnde & merito ipsa instrumentum intelligatur. Ea autem qualis esse debeat, hoc est quo apparatu instructa, aut quomodo ea utatur orator, deinceps quoq; ex eodem dicamus. Viri (inquit ille) ciuilis, eiusmodi esse debet oratio, ut neq; recens & theatralis, tanq̄ ostentantis cuiuspiam, & mollibus simul & floridis uerbis ueluti innectentis serta, uideri poßit, neq; exquisitis curiose commentis & duris ambitibus ex amußim & ad perpendiculum exacte composita, uerum ut à musicis probe institutis fides tractantur leniter atq; placide, non ui atq; impulsu concutiuntur, sit & in eorū, qui reipublicæ consulunt ac præsunt, oratione existere debet non astus, non calliditas, non propriæ laudis arrogantia,

rogantia, quin contra potius oratio ciuilis plana sit ingenuitatis, præ se ferat ueritatem & simplicitatē, gratificandi & persuadendi modum metiatur honesto, idq́; grauibus aptisq́; & idoneis tum uerbis tum sententijs efficiat. Admittat historias, fabulas, translationes, quibus maxime auditores mouentur, modo id apte & modeste efficiatur. Ad hæc non alienum est ab oratione ciuili, cauillis nonnunq̄ uti, atq; interdum ridiculis, modo res non ad contumeliam uergat, neq; scurriliter fiat, sed ex usu & modice reprehendendi alicuius detrahendiq́; studio. Maxime autem eiusmodi cauilla atq; ridicula commendari solent, quæ à laceßitis prius non ipsis incipientibus reddi uideantur. Ex præparato enim his uti, & priorem esse qui mordeat, scurræ & risum captantis esse uidetur, præterq̄ quod improbitatis quoq; affert oppinionē. Atqui remordentibus ueniam simul & gratiā ipsa oratio prebet. Verum in ridiculis illa uitanda uidentur ut nihil nimis, neq; inepte, ut non offendas auditores, ut te ipsum non admodum submittas deprimasue, ut te non ignauum & abiectum reddas. Quapropter ut idem author recte admonet, ad respondendum cauillis, & ad remordendum, exercitatione & usu opus est. Raro enim afferri solent occasiones, é quibus de repente pleraq́; aboriantur atq; appareant, Sane qui per occasiones rem opportune eggrediūtur his auditores facile mouent, eosq́; sibi conciliant, post remo

quo uolunt impellunt sine negotio. Hæc quidem ex Plutarchi libro supradicto de apparatu & usu orationis id breuiter inserere libuit, quod uidelicet non nihil ea ipsa conferre uideantur ad instituendum futurū oratorem, cuius gratia hæc ars inuenta proditaq; est, & à plerisq; addiscitur. Quorum omniū ex eodem Plutarchi libro exempla copiose peti possunt, sané pulcherrima & commodißima, quæ nos hic adijcere breuitatis studio plane supersedimus ac abstinuimus.

QVOD SIT ORATOris opus.

IAm quisq; his armis siue instrumentis orator ad dicendum instructus accesserit, nihil ei obstaculo esse poterit, quo minus opus suum libere perficere poßit, quod utiq; tripartitū esse constat, nempe docere, delectare, mouere, modo ipse sibi deesse nolit. De quo quidē tripartito opere oratoris idem Quintilianus libro pauló supra citato sed non eodem loco. Et non docere modo (inquit) sed mouere etiam, & delectare audientes debet orator. Et repetuntur hæc multo latius ab Aurelio Augustino libro quarto de doctrina Christiana ita, ut eisdem uerbis, quibus ista prosequitur, non oratorem solum sed & concionatorem, imó & eundem iam tum oratorē instruat, quoties ad populum sermonē facit, aut orationem habet. Quæ Agustini uerba hic subscribere me non pigebit,

si modo

ſe modo ea lectorem ipſum non pigeat legere hoc loco, Verba autem eius ita habent. Dixit quidam uir eloquens, & uerum dixit, ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Quorum triũ docere (inquit) eſt neceßitatis, delectare ſuauitatis, flectere uictoriæ, Horun item illud quod primo loco poſitum eſt, in rebus ipſis conſtitutum eſt, quas dicimus, reliqua duo in modo docendi ea quæ dicimus. Vnde ſi quis etiam delectare uul eum cui dicit, aut flectere, non id quocunq; modo dixerit faciet, ſed interest, quomodo dicat, ut faciat. Sicut eſt autem ut teneatur ad audiendũ, delectãdus auditor, ita flectẽdus, ut moueatur ad agendum. Et ſicut delectatur, ſi ſuauiter loquaris, ita flectitur, ſi amet quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis, quod commendas, amplectatur: quod dolendum exaggeras, doleat: cum quid lætandum prædicas, gaudeat: miſereatur eorum, quos miſerandos ob oculos dicendo cõſtituis: fugiat eos, quos cauendos terrendo proponis, & quicquid aliud grandi eloquentia fieri poteſt ad cõmouendos animos auditorum, non quid agendum ſit, ut ſciant ſed ut agant, quod agendum eſſe iam ſciunt. Docere ergo (inquit) eſt neceßitatis, delectare ſuauitatis, flectere uictoriæ. Ideo autem uictoriæ, quia fieri poteſt, ut doceatur auditor & delectetur, & tamen non aſſentiatur. Oportet igitur eloquentẽ non ſolum docere, ut inſtruat, & delectare, ut teneat,

uerum etiam flectere, hoc est mouere, ut uincat, id est persuadeat. Hæc ita ex Augustino ad uerbũ præter pauca admodum. Finit tractatus secundus.

INCIPIT TERTIVS.

IN TRACTATVM TERTIVM, in quo de inuentione cum primis agitur, præfatio.

POst hæc repetentes ipsas rhetoricæ partes, paulo altius de his tractemus agamusq;, & quid queq; earum sit exponamus, ac primum quidem, quid sit inuentio & eius officium, post hoc & de alijs eodemmodo ex ordinæ dicamus, quæ etiam cur partes ipsius artis dicte sint, supra ostensum est. Quippe quod ipsam artem integrent atq; componãt. Vbicunq; ergo facultas rhetorica tota integraq; fuerit, ibi & partes eius simul adesse necesse est. Vt cum tria sint posita causarum genera, Demonstratiuum, Deliberatiuum, & Iudiciale, in quocunq; illorum trium generum oratorem uersari contingerit, in illo

genere necesse est partes omnes ipsius artis adhibeat, si modo officio suo rite fungi uelit. Quod & à Georgio Trapezuntio in opere suo de arte rhetorica ita demonstratur. Nam cum omnis (inquit) dicēdi copia, hoc est eloquentia, rebus ac uerbis contineatur, & res quidem disponere, uerbis uero eas pronuntiare necesse sit, quatuor hinc oriri partes in promptu est, inuentionem, quæ rerum est, cui iam dispositionem adiunctam esse oportet. Elocutionem, quæ est uerborum, cui pronuntiatio abesse nequit. Memoriā præterea, quæ & si in omnibus liberalibus disciplinis requiratur, tamen quia difficillimū sit in conspectu multorū coram promiscua (ut feré fit) multitudine cunctis auscultātibus dicere & pronuntiare, idq; memoriter, illis quatuor supra dictis partibus quintam hanc (memoriam inquam) adiungere sanè oportebat. Itaq; si quando orator dicturus est, primū inuenit, hoc est excogitat ea de quibus dicat, mox inuenta ordine queq; suo disponit, deinde res prope dispositas uerbis aptis & idoneis ornat, postea omnia illa memoriæ mandat, postremo agit, ac pro dignitate, quæ memoriæ mandata tenet, pronunciat.

DE INVENTIONE quid sit.

INuentio est (ut Cicero ad Herennium ipsam definit rerum uerarum aut uerisimilium excogitatio,

quæ causam probabilem reddant, hoc est quæ faciant, ut fides habeatur ijs, quæ ab oratore dicuntur ad persuasionem. Huiusmodi sanè res sunt argumenta partim necessaria, partim probabilia, uidelicet quibus ea quæ ad dicendum præposita sunt, fulciantur confirmenturq́;. Itaq; primum oportebit oratorem inuenire & excogitare proposito themate, ad quod genus causæ proposita ad dicendũ res, hoc est thema ipsum pertineat. Deinde ubi illud iam cognouerit, iterum illi excogitandum erit, unde dicturus de re proposita, exordium sumat. Post exordiũ deinde quomodo narret singula inuenta atq; diposita. Rursus post hoc si multa illi dicenda forent, quemadmodũ, ea omnia per partes distribuat, ne scilicet illorum multitudine & perplexitate intellectus auditoris confundatur distrahaturq́;. Post hæc quibus quæ narrauerit, argumentis confirmet, aut uicißim ab aduersario contra se adducta argumenta confutet. Postremo quo pacto hæc omnia peroratione congrua atq; decenti agat & cõcludat. Quibus quidem ad istum modũ rite peractis, uidebitur ipse haud dubie officio suo probe functus esse. Quippe qui iam ipsa oratione quæ artis instrumentũ posita est, per omnes eius partes ita usus sit, ut quantum in ipso fuerit, finem artis sit plane assecutus. Cæterum de oratione, eiusq; partibus quinto ab hinc tractatu latius à nobis agetur. Interim hoc loco inuentionis definitionẽ ex Martiano Capella repetamus.

tamus, ut per quã ea quæ supra ex Cicerone adducta fuit, planius percipiatur. Inuentio est quæstionũ argumentorumq; sagax, inuestigatrixq; comprehensio. Quæ utiq; definitio à superiori non adeó differt, nisi quod hæc genera causarum apertius explicat uerbo quæstionum. Sunt enim (ut dictum est) causæ quæ ab oratoribus tractantur, quæstiones ciuiles. Deinde simul & ipsa argumenta, quibus orator ad confirmandũ ea quæ dicit ac persuadere uult, utitur. Quæ tamen omnia superior definitio complectitur quidẽ, sed paulo obscurius, tum in hoc quod ait, rerum uerarum aut uerisimilium, tum in hoc quod deinde subiungit, quæ causam probabilem reddant. Cæterũ causam Cicero alibi materiam artis dicit, ut quã ex Aristotelis sententia tripartito distinguit, Vnde & de ea obiter ex ipso Cicerone, cuiusmodi sit hic dicendum uidetur.

DE MATERIA ARTIS RHETOricæ, tum quid sit causa, & de quæstione quæ etiam cum duplex sit, utra ad rhetoricam pertineat.

NOn alienum fuerit hoc loco exponere, quid sit causa apud oratores, idq; potißimũ ex Cicerone in rhetoricis de inuentione, & unde potius quàm ex illo, qui princeps huius artis apud latinos & est, & habetur?

habetur: Materiam (inquit ille) artis eam dicimus, in qua omnis ars & facultas, quæ conficitur ex arte, uersatur. Vt si medicinæ materiam dicimus morbos ac uulnera, quod in eis omnis medicina uersetur. Item quibus in rebus uersatur ars & facultas oratoria, eas res materiã artis rhetoricæ nominamus. Has autem res alij plures, alij pauciores existimauerunt. Nam Gorgias Leontinus antiquißimus fere rhetor omnibus de rebus oratorẽ optime posse dicere existimauit. Hic immensam & infinitam huic artificio materiam subijcere uidetur. Aristoteles autem, qui huic arti plurima adiumenta atq; ornamenta subministrauit, tribus in generibus rerum uersari rhetoris officium putauit. Demonstratiuo, Deliberatiuo, & Iudiciali, quemadmodum quidem & nostra quoq; fert opinio. Oratoris igitur ars & facultas in hac materia tripartita uersari existimanda est, quæ eadem & causa esse dicitur & quæstio. Causam subinde ex Hermagore sententia eam esse dicit, quæ habet in se controuersiam in dicendo positam cum certarum personarum interpositione, quàm nos quoq; Cicero ait, oratori dicimus esse attributam, ut cui, tres partes, quas iam diximus, supponimus, Iudicialem deliberatiuam, & demonstratiuam. Huc usq; hæc ex Cicerone de materia rhetoricæ maxima quidem ex parte. Eandẽ sanè materiam quæstionem quoq; quis appellauerit, non eam tamen, quàm idem Hermagoras definit hoc modo. Quæ

do: Quæstio est, quæ habet in se controuersiam in dicendo positam sine certarum personarum interpositione, sed eam, quàm græci ὑπόθεσιν appellant. Ea autem est, quæ personis, locis, temporibus, factis cæterisq; circũstantijs implicita sit, ut si quæratur. Iure me Cicero in exilium dubio reipub. tempore detrudatur, quia in iussu populi Romani ciues Romanos necauerit? Priorem illam, quã Hermagoras definit quæstionem, Dialectici θέσιν appellant, ob id quod citra personarum cæterarumq; circumstantiarum interpositionem proponitur tractaturq;. Circumstantiæ uero his feré notis intelligẽtur, quis, quid, ubi, quando, quibus adminiculis, & si quæ aliæ sunt.

DE STATV QVID SIT ET cur ita dicatur, & de eius diuisione.

DEinde autem & de statu in hac arte (quàm constitutionem Cicero appellat) quo pacto inueniatur, & unde nascatur dicamus oporter Omnis (inquit) res siue materia, quæ in se positam habet in dictione aut disceptatione aliquam controuersiam, ea ipsa quæstionem continet, aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis,. Eam igitur quæstionẽ (ait) ex qua causa nascitur, constitutionem appellamus. Eandem quoq; ita definit. Constitutio est prima conflictio causarum ex depulsione intentionis profecta, hoc

modo fecisti, non feci aut iure feci. Hic intentio est, fecisti. Depulsio non feci, aut iure feci. Ex his igitur duabus inter se concurrentibus uocibus intentione & depulsione nascitur quæstio, quæ dicitur status, siue constitutio, quod ibi quasi ad pugnam actionis acies ordinata cõsistat steturq;, Verum ut hæc quæ dicta sunt, clarius percipiantur, quid sit intentio, quid itẽ depulsio dicendum quoq; est. Intentio itaq; est eius facti obiectio, quod in iudiciũ uenit. Depulsio contra est obiectioni hoc est intentioni resistens oratio, siue negatio, uidendum præterea, quo pacto quadripartita ista constitutio à Cicerone constituatur. Quod quidem ita facile intelligemus, si singula ipsius quæstionis membra examinauerimus, unde sciendum, quod omnis quæstio apud oratores aut est facti, aut nominis, aut generis siue qualitatis, aut actionis. Si ergo facti quæstio est siue controuersia hæc constitutio siue status coniecturalis appellatur. Si nominis, quia uis tantum uocabuli diffinienda uerbis est, constitutio hæc diffinitiua nominatur. Si generis siue qualitatis, quia de genere hoc est qualitate negotij controuersia est constitutio generalis uocatur. Si uero actionis, ut cum causa ex eo pendet, quod non aut is agere uidetur, quem oportet, aut non cum eo, qui cum oportet, aut non apud quos, quo tempore, quo crimine, qua pœna, oportet, translatiua dicitur constitutio. Quia actio ipsa in hoc translationis & cõmu-

tationis

tationis indigere uidetur, uerũ hanc quidã non per se cõstitutionẽ siue ut statum recipere uolunt, sed partẽ qualitatis hoc est generalis constitutionis ponere malunt. Quod nos in præsentia altius discutere noluimus. Quin, potius quæ dicta sunt hactenus ex Ciceronis sententia de quadripartita hac constitutione siue statu, eo quo instituimus modo prosequi plane libet ex eodem Cicerone, sed q̃ possumus breuißime per singulas species, in quas constitutio siue status distribuitur, utcunq; alij de his iudicẽt sentiantue.

DE STATV SIVE CONSTITVtione coniecturali, qui & à quibusdam inficialis status appellatur.

STatus ergo siue constitutio cõiecturalis est, cum de facto controuersia est, hoc modo. Aiax in sylua postq̃ resciuit, quæ fecisset per insaniam, gladio incubuit, sibiq; ipse mortem consciuit. Vlixes interuenit, occisum conspicatur, é corpore telum cruentum educit. Teucer deinde superuenit, ubi occisum fratrẽ, & inimicum fratris cum gladio cruentato uidet, eum capitis arceßit. Hic quoniã per coniecturam uerum quæritur de facto, seu de authore facti, emergit controuersia, quæ ob id constitutio causæ coniecturalis nominatur. Hanc deinde constitutionem in omnia tẽpora distribui posse dicit. Nam potest quæri quid fa-

ctum sit, hoc modo. Bono ne animo sint erga rempub. Fregelani? & quid futurum sit, hoc modo. Si Charthaginem reliquerimus incolumen, nunquid incommodi ad rempublicam peruenturum?

DE STATV SIVE CONSTITVtione diffinitiua, quae & nominis controuersia dicitur.

Nominis controuersia siue constitutio diffinitiua est, cum de facto quidem conuenit, imó & de authore facti, sed quaeritur id quod factum est, quo nomine appelletur. Quo in genere (Cicero ait) ideo necesse est nominis esse controuersiam, non quod de ipsa re non conueniat, aut de facto non constet, sed quod id quod factum est, aliud alij uideatur esse, & iccirco alius alio quoq; nomine appellet, ut si quis sacrũ surripuerit ex loco priuato, utrum fur an sacrilegus is sit iudicandus. Nam id cum quaeritur, necesse erit utrunq; definire, quid sit fur, quid sacrilegus, & propria cuiusq; descriptione ostendere rem illam, de qua agitur & cõtrouersia est, alio nomine appellari oportet, atq; aduersarij dicunt. Eodem sanè modo si quis peculatus accusetur, quod publica uasa argentea de loco priuato sustulisse dicatur, is dicere poterit, cum definitione usus, quid sit furtum, quid peculatus, ostẽderit, secũ ob id nõ peculatus, sed furti agi oportere.

TRACTATVS TERTIVS.

DE STATV ET CONTITVTIONE generali siue de controuersia generis qualitatisue.

GEneris hoc est qualitatis controuersia est cũ & quid factum sit, conuenit, & quo id factum nomine appelletur, constat, & tamen quantum, & cuiusmodi & omnino quale sit, quæritur hoc modo. Iustum ne an iniustũ, utile an iuutile, & omnia in quibus quale sit quod factum est, quæritur sine ulla nominis controuersia. Hæc constitutio in duas distribuitur partes iuridicialẽ & negotialem. Iuriditialis est, in qua æqui & recti natura, aut premij, & pœnæ ratio quæritur. Negotialis est, in qua quid iuris sit ex æquitate & ex more & constitutione ciuili, consideratur, Cui diligentiæ (idem Cicero ait) præesse apud nos iurisconsulti existimãtur. Iudicialis rursus & ipsa in duas distribuitur partes, absolutã & absumptiuã. Absoluta est, quæ ipsa in se continet iuris & iniuriæ quæstionem, hoc est, ut clarius hæc percipiantur, quæ ipsa non extrinsecus (ut assumptiua) aliquid sumit, sed per se recti & non recti i quæstionem continet. Quam proinde Martianus Capella ita definit Absoluta causæ constitutio est. quæ factum ipsum sua natura & iure defendit. Absumptiua est, quæ ipsa ex se nihil firmi dat ad recusationem, sed foris non nihil defensionis assumit, quàm & idem Capella apertius quoq; d efinit hoc modo. Assumptiua est, quæ cũ

in facto ipso nihil probabile reperiat, confugit ad ipsam causam eamq; iustã ut facere deberet, allegat. Vt cum Milo qui Clodium occiderat, non potuerit dicere hominem licuisse iugulare, causam occidendi astruxit, insidias Clodij.

ASSVMPTIVA CONSTITVTIO in quot partes diuidatur.

ASsumptiue porró constitutionis partes sunt quatuor. Concesśio, remotio criminis. Concessio est, cum reus non id quod factum est, defendit, sed ignoscatur sibi postulat. Hæc rursus in duas diuiditur partes, Purgationem & ut deprecationem. Purgatio est, cum factum conceditur, culpa remouetur, id est animus & uoluntas excusatur, Hæc partes habet tres, Imprudentiam, Casum & necessitatẽ. Inter quas quidem partes hoc interesse Martianus Capella docet, quod imprudentia fallit, Casus prohibet, Necessitas cogit, Deprecatio deinde definitur, ac esse dicitur, cum & peccasse reus & cõsulto peccasse confitetur, & tamen ut ignoscatur sibi, postulat. Quod genus (aiunt) perraro potest accidere. Remotio criminis est, cum id crimen quod infertur, ab se & a sua culpa, & ui & potestate in alium reus remouere conatur, id quod duobus modis fieri poterit, si aut causa, aut factum in

alium

alium transfertur, Causa quidē transfertur, cum aliena dicitur ui & potestate factum. Factum autem, cum alius aut debuisse aut potuisse facere dicitur. Relatio criminis est, cum ideo iure factum dicitur, quod aliquis ante iniuria lacesserit. Cōparatio est, cū aliquod factū, quod per se ipsum non sit probandū, ex eo cuius causa factum est, defenditur. Vt cum obicitur, fecisti, feci, sed profui.

DE STATV SIVE CONSTItutione translatiua.

NVnc quartam ipsius causæ constitutionem, quā superius uerbis Ciceronis usi translatiuam diximus appellari, illis tribus hactenus expositis siue statibus siue constitutionibus adijciamus, quod profectò etiam eo libentius facimus, quod ea & ab Hermogora ut græco, ita non uulgari huius artis scriptore primum inuenta sit, ut etiam ipse Cicero testatur in rhetoricis de inuentione, nec ab eodem Cicerone cū in libris rhetoricorū de inuentione, tū in ijs libris, quos ad Herēnium de præceptis artis rhetoricæ scripsit imò nec à Quintiliano improbata sit, ut à quo libro septimo oratoriæ institutionis actionis quæstio dicitur. Quàm tamen iccirco (ut Victorinus tradit) multi ex huius artis scriptoribus, inter constitutiones referrè noluerunt, quod omnis constitutio actionem constituat, trans

at, translatio autem id uideatur agere, ne actio sit. Sed in hoc illi falluntur. Nam ut idē Victorinus docet, hoc ipsum, scilicet quod actionem commutat, id est per quod actio commutatur actio est, itaq; translatiua constitutio est (ut ea à Cicerone describitur) cum aut quem, aut qui cum, aut quo modo, aut apud quos, aut quo iure, aut quo tempore agere oporteat, quaeritur, aut omnino de cōmutatione actionis, aut de infirmatione eius agitur. Hoc est ut idem uictorinus exponit cum aut actio tota commutatur, aut aliqua ex parte debilitatur. Sic ergo utimur hac constitutione, ut Francisci Maturantij uerbis utar, quoties ex eo causa pendet, ut ab alio nos accusari debere dicamus, aut non nos sed alios, aut non apud hos iudices, sed apud illos, non hac lege sed illa, non de hoc crimine sed de illo, non hac pœna damnari sed illa, aut non hoc tempore sed illo. Vt si cum aliquo conuenisti, te illi daturum intra quinquennium aureos centum, & ille ante tempus postulauerit, tum non negabis te centum debere, sed ante tēpus illos peti dices, ideoq; tempus differendum, & expectandum, donec quinquennium praetereat. De accusatione quoq; hoc amplius, ut si ignominiosus sit, aut infamis, fatebimur quidem obiectum crimen, sed mutandum esse accusatorē. Sicut & de iudice, ut si, quod hodie plerunq; fit, sacerdos quispiā apud praetorem accusatus fuerit, is tum ad Episcopum, siue ad eius officialem ut ad suum

iudicem, causam deferri postulabit, atq; ita actio nõ tollitur omnino, sed comutatur. Sciendũ autem, quod hæc translatiua constitutio à iurisconsultis exceptio appellatur, ut & id à Philippo Melanchthone diligenter annotatum obseruo, imò & ipse Cicero in rhetoricis de inuentione eam sic appellari tradit, nec non & rarius incidere consueuisse ait. Vnde ius ciuile (inquit) ita constitutum habemus, ut à causa cadit is, qui non quemadmodum oportet egerit.

DE ARGVMENTIS, QVO VIDElicet modo orator his opus habeat, & de illorum inuentione.

INuentis atq; expositis constitutionibus siue statibus, consequens est, ut ad argumenta transeamus, & ostendamus, quo pacto & ipsa ab oratatore inueniantur, ut quibus ipse commode opportuneq; utatur in unoquoq; genere causæ, præsertim quoties quod ad dicendum propositum fuerit, probatione aliqua indigere uidebitur, inueniuntur autem haud difficile argumenta, si quibus ex locis (ut in quibus ueluti latẽt) ducantur eruanturq; compertum fuerit. Cæterũ loci huiusmodi duplices sunt. Quidam enim ex his dialectici appellantur, ut qui à dialecticis cum primis traduntur, quidã uerò rhetorici, ut quorum usus etiam frequentior sit apud oratores. Porrò qui à dialecticis

traduntur, ab illis si quando opus fuerit, petantur. Nos hic de his tantum agamus, qui rhetorici appellãtur ob eam quã iam diximus causam. Verum quoniã argumentorum notitia parum proderit oratori nisi idem sciat, quo pacto ea accommodare, debeat, ad probandum quicq̃, cum sit alioqui argumentum ratio rei dubiæ faciens fidem. Sed hanc fidem argumentũ facere non potest, nisi ipsum in argumentationẽ sumptũ fuerit. Quippe quæ sit argumenti per orationem explicatio, de argumẽtatiõe igitur prius à nobis, quã poterimus breuitate, dicẽdum quoq; fuerit hoc loco.

DE ARGVMENTATIONE quid sit.

ARgumentatio, à Cicerone ad Herenniumde finitur, oratio, per qnam res aliqua aut probabiliter ostenditur, aut necessarie demonstratur. Vnde apparet, quod omnis argumentatio, qua ad probandum aliquid utimur, aut necessaria, aut probabilis dici debet. Necessaria ea est, per quã ea demonstrantur, quæ aliter ac dicuntur, nec fieri nec probari possunt, ut si mulier peperit, cum uiro concubuit. Probabilis autem, ꝑ quã ea ostenduntur, quæ ferẽ fieri solent, aut quæ in hominum opinione posita sunt. Ex his quæ plerunq; fieri solent, huiusmodi exemplũ est. Si mater est, diligit filium suum. Ex his quæ in hominũ opinione posita sunt, tale Cicero in rhetoricis de

tis de inuentione exemplũ subiungit, Impijs apud inferos pœnas esse præparatas. Vnde est & illud apud Iuuenalem satyra secunda.

Esse aliquos manes & subterranea regna.
Et contum, & stygio ranas in gurgite nigras,
Atq; una transire uadum tot milia cymba.
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lauantur.
Sed tu uera puta.

DE PARTIBVS ARGVMENtationis.

HVius sanè argumentationis idem Cicero partes quinq; facit, eius præsertim quæ absoluta & perfecta habeatur, quæ sunt Propositio, Ratio, Rationis confirmatio, Exornatio, Complexio, quas et deinceps ex ordine, quo ab eo numerantur, definit hoc modo. Propositio est, per quã sumatim ostendimus, quid sit quod probare uolumus. Ratio est causa qua demonstratur id uerum esse, quod intendimus. Rationis confirmatio est ea, quæ pluribus argumentis corroborat breuiter expositam rationẽ. Exornatio est, qua utimur rei honestandæ hoc est ornãdæ tũ & locupletandæ causa. Hæc exẽplis, similibus, rebus iudicatis, & cæteris huiusmodi constat, quæ proinde dialectici non utuntur. Quippe quæ exercitatio sit magis speciosa & elegans, q̃ necessaria. Complexio est, quæ concludit breuiter colligens partes argumentationis.

tationis. Quæ quidem si breuis fuerit, supersedendu iam erit tum exornatione, tum complexione. Exornatione quidem, ut si parum locuples ad amplificandum & exornandum res esse uideatur. Complexione uero, si res breuis est, ita ut facile memoria comprehendi poßit. Vtrisq; autem si res tenuis atq; humilis fuerit. Ergo amplißima absolutißimaq; argumentatio quandoq; partita est, breuißima tripartita, mediocris quadripartita, sublata uidelicet aut exornatione, aut complexione.

DE LOCIS ARGVMENTORVM maxima quidẽ ex parte ex Quintiliano.

ARgumentum quidem quid sit, & quid poßit, supra definitum est. Verum ut argumentorum, imó ipsorum potius locorum distinctio siue diuisio in prõptu habeatur, Quintilianus hic nobis cum primis audiẽdus uenit, qui omnia ait in hæc duo diuidenda esse, res & personas, ita ut quædam rebus, quædam personis attribuantur. Rebus attribuuntur uelut illarum accidentia, causa, tempus, locus, occasio, instrumentum, modus & cætera huiusmodi. Nam de omnibus quæ fiunt, quæritur aut quare, aut ubi, aut quando, aut quomodo, aut per quæ facta sunt. Personis attribuuntur genus, natio, patria, sexus, ætas, & quæ deinceps ex ordine sequuntur. Genus, nã similes parentibus

rentibus aut maioribus suis filij plerunq; esse creduntur. Natio. Nam & gentibus proprij mores sunt, nec idem in barbaro, Græco & Romano probabile est. Hinc apud Vergiliũ in secundo Aeneid. Aeneas admonet Didonem Græcos omnes cognoscendos ab uno eius nationis homine, cũ ait. Accipe nunc danaũ insidias, & crimine ab uno. Disce omnes. Patria, quia similiter etiam ciuitatum leges & instituta habent differentiam. Sexus, ut latro ciuium facilius in uiro, ueneficium in femina credas. Aetas, quia aliud alijs anni temporibus magis cõuenit. Id quod ab Horatio certe in arte poëtica, & post hũc à pruden. poêta Christiano lib. καθημερινῶν tum grauiter tum eleganter ueluti in pictura quadam expressum uides. Educatio & disciplina, quoniam refert à quibus, & quo quisq; modo sit institutus. Habitus corporis. Nam ut frequenter ducitur in argumẽtum libidinis species, ita petulantiæ robur. Fortuna. Siquidem nec tam credibile idem est in diuite ac paupere, propinquis, amicis, clientibus abundante, & his omnibus destituto. Conditio. Nam plurimũ distat, clarus an obscurus quis sit? magistratus an priuatus? pater an filius? ciuis an peregrinus? liber an seruus? maritus an celebs? parens liberorum an orbus? Animi natura. Etenim auaritia, ita iracundia, misericordia, crudelitas, seueritas. Et alij his similes effectus frequenter fidem afferunt aut detrahunt. Studia quoq;. Nam rusticus, fo-

rensis, negotiator, miles, nauigator, medicus aliud atq; aliud efficiunt, hoc est aliud atq; aliud studium quiq; eorum exercet. Studium autem est (ut et illud nunc ex Cicerone de inuentione adijciamus hoc loco) animi aßidua & uehemens ad aliquam rem applicata magna cum uoluntate occupatio, ut philosophiæ, geometriæ, poëticæ, literarum, imó & agriculturæ. Consilia, quæ & præsentis & præteriti & futuri tēporis sunt, spectantur preterea & ante dicta & facta. Ex præteritis enim estimari solent præsentia. Hæc feré circa personas habentur & his similia. Itaq; ex his omnibus ueluti certis locis argumenta ducūtur, ut ex causis, ex tempore, ex occasione & cætera, ita à genere, à motione, à patria, à sexu. &c.

DE ALIIS QVIBVSDAM LOcis, quos inartificiales uocant.

E*T hi quidem iam dicti loci, artificiales & sunt & habentur, præter quos alij quidam inartificiales loci appellantur, ut qui non ab oratore inueniantur, sed ad eum cum ipsa causa deferātur obiter & uelut à casu, qui & in tribus (ut uult Martianus Capella) positi sunt rebus, in scriptura, in authoritate, in neceßitate, In scriptura, ut tabellarum, In autoritate ut testium, in neceßitate, ut tormentorum. A scripto igitur argumentum petitur, cum ad rei dubiæ probationem,*

tionem, uel chirographum, uel testamentum transactionis, aut tabulæ recitantur, cæteraq; huiusmodi. Ab authoritate, ut Africanum dixisse iure cæsum Tiberium Grachum, aut cum testimoniũ, quo ueritas nudetur, affertur. A necessitate, cum fides ex tormẽtis, aut somno, aut furore, aut uinolẽtia sumitur. Hinc illuc, in uino ueritas. Addunt quidam his rumores & famam, quæ pars altera consensum ciuitatis & uelut publicum testimonium uocat, altera sermonem, sine ullo certo authore dispersum in ora hominũ, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas, unde uerißime Ouidius dixit.

Sed nos in uitium credula turba sumus.

Et de fama cuiusmodi sit, Virgilius.

Fama malum, quo non aliud uelocius ullum.
Mobilitate uiget, uiresq; acquirit eundo.

QVOD POETARVM QVOQ; fabulæ nonnullæ uim habeant argumentorum.

AT qui præter iam dictas argumentorum differentias, quorum hæc quidem artificialia, illa uero inartificialia dicta sunt, nonnullæ quoq; poëtarum fabulæ eam uim habere dignoscũtur & ad psuadendũ & ad fidẽ faciundã (id quod & alias à nobis ostẽsum est) ut nõ inmerito argumentorũ nomine censeantur.

Cuiusmodi quidem eæ fabulæ sunt, quæ Aesopi nomine circumferuntur, de quibus & Aphtonius Sophista in progymnasmatis, Quipe qui fabulas à poëtis quidem profectas esse dicit, sed & oratoribus communes factas admonēdi gratia, & cum inter has aliæ Sybariticæ dictæ sint, aliæ Cilices, aliæ Cipriæ, accepto ab inuentoribus nomine, quia tamen Aesopus (inquit) omnium optime fabulas conscripsit, euicit ipse atq; obtinuit, ut à suo potius nomine. Aesopiæ dicerētur. Quas deinde ita distinguit, ut dicat alias rationales dici, alias morales, alias mistas, & reliqua quæ apud ipsum Aphthoniū legantur. At nunc quemadmodum argumentorum uim habeant ipsæ fabulæ, Quintilianum audiamus, qui libro quinto oratoriæ institutionis ubi de argumentis ipsis præcipue agit, de fabulis ad hunc modum scribit. Eadem (inquiens) ratio est eorum (subaudi argumentorū) quæ ex poêticis fabulis ducuntur, nisi quod his minus affirmationis adhibetur. Ac de eisdē ita dicere pergit. Illæ quoq; fabulæ, quæ etiam si ab Aesopo originem nō acceperunt (Nam uidetur earum primus author Hesiodus) nomine tamen Aesopi celebrantur ducere animos solent præcipue rusticorum & imperitorum, qui & simplicius quæ facta sunt audiunt, & capti uoluptate facile ijs quibus delectantur, consentiunt. Siquidē & Meneuius (inquit) Agrippa plebem cum patribus in gratiam traditur reduxisse nota illa de membris hu

manis

manis auersus uentrem discordantibus fabula. Hactenus Quintilianus de poëtarum Fabulis. An non etiam talis ea fabula est, quã de Caßita auicula A. Gellius libro secundo noctiũ atticarum ex Aesopo repetit, qua ueluti ratione quadã admonemur, imò & persuademur, ut si quando nobis quippiã serio curãdum fuerit id ipsi potius subeamus, non alijs uel amicis aut etiã propinquis cõmittamus, si nolumus alioqui uotis nostris per inanem aliorum fidutiam toties frustrati. Et hactenus quidem de inuentione prima rhetorices parte. Nunc ad reliquas transeamus.

Finit Tractatus Tertius.

INCIPIT TRACTATVS Quartus.

SEQVITVR IN EVNDEM PRAEFATIO.

Posteaq̃ de inuentione prima ac ueluti principe artis rhetoricæ parte, abunde satis, quãtum quidem nostræ institutionis ratio po

ſtulare uidebatur, transegimus ac obiter de alijs quibuſdã, quæ inuẽtioni ipſi plane ſubiacent, imó quæ inueſtigare atq; excogitare ante omnia officiũ eius eſt. Quippe quæ citra illam non ita facile haberi poßint, utpote ad omne genus cauſæ accomodatã, proindeq; non iniuria inter artis partes difficillima à quibuſdam iudicatur, tempus iam exigit & ratio ordinis, ut ad reliquas artis partes ueniamus, quæ quidam ſunt Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, & pronuntiatio.

DE DISPOSITIONE, ET DE duplici eius ratione.

DIſpoſitio igitur, quemadmodũ ſcilicet à Cicerone in rhetoricis de inuentione definitur, per quã illa quæ inuenta ſunt, in ordinẽ quendam rediguntur, hoc eſt, ut ab eodẽ in rhetoricis ad Herennium definitur, ordo & diſpoſitio rerum inuentarum, quæ demonſtrat, quid quibuſq; locis ſit collocandum. Itaq; per hàc artis partem intelligimus, quæ dicenda ſunt, quo loco quo modo & quando dicenda ſint. Huius quidem partis idem Cicero duos tradit modos, unũ qui ab inſtituti one artis proficiſcitur, & his ordo naturalis eſt, ut qui ex natura cauſæ. Id eſt rei de qua agitur, procedit, alterum, qui ad caſum temporis accommodatur. Hoc eſt qui oratoris ingenio & artificio comparatur, unde & artificioſus ordo appellatur. Quippe perſonis, qui locis, tẽporibus acco

modæ

modatus naturalem rei ordinẽ artificiose ingenioseq; cõmutat. Quæ ut perfectius pleniusq; intelligantur, paulo latius declaremus. Naturalis igitur ordo est, cũ post orationis principiũ, narratio & relique deinde ipsius orationis partes, quæ sunt diuisio, confirmatio cõfutatio & peroratio ordine sequuntur. Artificiosus uero est, cum oratoris iudicio ad tempus dispositio accommodatur, hoc est cũ à naturali ordine ad tẽpus recedimus, ut si prætermisso principio siue exordio, a narratione dicere incipiamus, aut ab aliqua firmissima argumentatione, aut ab aliquarum literarum recitatione, si forte literæ apud nos extent, quæ causam nostrã iuuare possint, aut post exordiũ confirmatione utamur, deinde narratione, aut si quã huiusmodi naturalis ordinis permutationẽ faciamus. Quorum sanè nihil alioqui nisi causa postulauerit, fieri oportebit. Nam si auditorũ aures uehementer obtusæ uidebuntur, atq; animi illorum & ipsius præsertim iudicis defatigati ab aduersarijs uerborũ multitudine, tum cõmode & necessario poterimus principio supersedere, & exordiri causam aut a narratione (ut dictum est) uidelicet si causa nostra magnã habuerit difficultatem, ut ob id nemo æquo animo principium posset audire, aut ab aliqua firmissima (ut id quoq; dictũ est) argumentatione, maxime, qua ostendamus nos habere aliquid quo causam nostrã corroboremus idq; tum potissimũ, si narratio parum probabilis fuerit, In

rit. In confirmatione præterea & confutatione ipsarũ argumentationum dispositiones huius modi habere conuenit, ut firmißimæ argumentationes in primis ac postremis causæ partibus collocentur, mediocres autẽ ut quæ uerißimiles sunt interponantur, hoc est in medio ponantur, quæ & huiusmodi sunt, ut neq; inutiles sint ad dicendũ, neq; necessariæ ad probandum, si singulæ dicantur, cum cæteris tamen coniunctæ firmæ fiunt & probabiles. His igitur commutationibus & translationibus partiũ ipsius orationis sæpe uti necesse est, cum res ipsa, hoc est personæ, temporis, & loci conditio naturalem ordinẽ artificiose commutare cogit. De dispositione quidem hactenus hæc dicta sufficiant.

DE ELOCVTIONE, ET QVID intersit inter Elocutionem & Eloquẽtiã.

ELocutio est idoneorũ uerborũ & sententiarũ ad inuentionem accõmodatio. Ad hunc quidem modum ab ipso Cicerone in rhetoricis ad Herenniũ elocutio definitur. Quod ergo ait ad inuentionẽ, intellige ad res inuentas. Nam prius res habere oportet, deinde uerba accommodare. Sane hæc pars (ut Georgio Trapezuntio placet) tam propria est oratori, ut multi fuerint, qui memoriã quidẽ & pronuntiationẽ natura solum, inuentionem & dispositionem alijs quoq; artibus non rhetorica tantum cõstare putarint.

tarint. Elocutionem autem nemo ausus sit oratori eripere. Si quidem hac efficitur, ut cum quis ornate, distincte, aperteq; dixerit, eloquens merito esse uideatur. Quas ob res (ut eidem placet Trapezuntio) ipsa elocutio cæteris rhetoricæ partibus ante ferenda uidetur. Quam etiam Quintilianus libro octauo ob eandem fortaßis causam inter artis rhetoricæ partes difficillimam esse ait, atq; ita inter omnes oratores conuenire. Vnde & ibidem. Mar. Antoniũ adducit, eius scilicet quod ex omnium sententia dixit ueluti probatißimũ testem, qui dicere solitus erat (ut est apud Ciceronem in primo de oratore libro) a se quidem disertos uisos esse multos, eloquentem autem neminem, quod idem Antonius disertos putabat dicere quæ oportebat, ornate autem dicere proprium esse eloquentißimi. Et non multo post idem Quintilianus ipsum Ciceronem adducit de inuentione, dispositione & elocutione hanc ferentẽ sententiam, quod inuentio quidem & Dispositio prudentis sunt hominis, eloquẽtia oratoris. Nam si quid inueneris idemq; rite disposueris, tametsi optimum sit inuentum, deiectũ tamen & depressum uidebitur, nisi elocutione perpolitum sit. Hæc ita Cicero. Quare si loqui proprium hominis est nemini dubiũ esse debet, omnium rerum quas natura humano generi tribuit, præstantißimã esse elocutionẽ. Nam ratio quidẽ ipsa, quæ in ipsius mentis abditis condita est, nisi oratione fuerit

elicita

elicita tantum habet splendoris, quantũ ignis abstruſus in silice. Sed nunc etiã anteq̃ ad elocutionis partes pergamus, non importune fortaßis dicendũ uideatur idq; ex Martiano Capella, quid intersit inter elocutionem & eloquentiã, & si nonnunq̃ haec inter se uocabula apud artiũ scriptores confundantur. Elocutio (inquit ille) ab eloquentiae nomine separatur, quod eloquentia totius operis oratorij uis atq; uirtus est. Elocutio pars tantũ habetur officij oratoris, ut p quã omnia quae mente conceperis (ut uult Quintilianus) promere, atq; ad audientes proferre poteris. Vnde sine elocutione (inquit priora uacua sunt, & similia gladio condito, & intra uaginã suam haerenti. Quin hic illud quoq; obseruandum, quod (ut idem tradit Quintilianus libro octauo) quam graeci (inquiens) φράσιν uocant, latine dicimus elocutionem.

QVOT EX PARTIBVS elocutio constet.

CAeterum qui de elocutione scripsere, hoc est de hac artis parte precepta tradidere, ij eam quã breuißime in duabus partibus consistere dixerunt, in uerbis & sententijs, id quod ex eius definitione supra posita, facile intelligi datur. Nam ut uerba ipsa, si latina sunt & perspicua, magnũ ipsi orationi ornatum addunt, sic & figurae, si apte & in loco accõmodentur,

maiorem

maiorem in modnm orationem exornant. Vnde etiã ipsæ lumina orationis iure dicuntur. Verum hoc loco lectorem ex Quintiliano admonitu uolo, uerba nũc generaliter accipi. Nam duplex eorum (ut ille ait) intellectus est, alter qui omnia per quæ sermo nectiatur, significat, ut apud Hora. in arte. Verbaq; prouisam rem non inuita sequũtur. Alter, in quo est una pars orationis, ut lego, ut scribo, uerba igitur (ut nunc accipimus) aut simplicia sunt, aut composita. Simplicia quæ sunt, hæc sunt aut propria aut translata, aut usitata, aut ficta. Propria uerba dicuntur, cum id significant, in quod primo denominata sunt. Translata, sunt cum alium natura, hoc est prima impositione intellectum, alium loco hoc est per occasionem præbent. Vsitatis tutius utimur, Noua non sine quodam periculo fingimus. Nam si recepta sunt, modicam laudem afferunt oratori, repudiata etiam in iocos exeunt. Audiendũ tamen. Nam (ut Cicero ait) quæ primo dura sunt, usu mollescunt. Huc usq; de simplicibus uerbis ex Quintiliano. Sequuntur composita de quibus idem ait hoc modo. Composita uerba sunt, quæ aut præpositionibus subiunguntur, ut innocens, aut é duobus quasi corporibus coalescunt, ut maleficus, Componuntur autem uerba aut ex duobus latinis integris. ut superfui, aut ex integro & corrupto ut maleuolus, aut ex corrupto & integro, ut noctiuagus, aut é duobus corruptis ut pedissequus, aut é latino

latino & peregrino, ut bicliniū, aut contra ex peregrino & latino, ut epitogiū & Anticato, aut ex duobus peregrinis ut epirhediū. Cæterū hæc quæ de uerbis hactenus diximus, ex grammatica inprimis petenda sunt. Nam (ut recte nos admonet Melanchtō) sicut inuentio (inquiens) multū habet cum dialectica cōmune ut à qua plurima mutuatur, ita elocutio plurima sumit ex grammatica. Similiter & figuræ quædam, ut uerborū in primis, inde peti possunt, At de figuris quidem tum uerborum, tum sententiarum, ac cæteris, quæ ad ornatum orationis faciunt, quod de his multi extant libri tam à recentioribus q̃ à ueteribus conscripti, nos de his ad præsens supersedere pláne duximus, & ad reliquas duas artis partes, quæ adhuc restare uidentur, transire potius.

DE MEMORIA.

Memoriam quidam (Quintilianus ait) naturæ tantummodo munus existimauerunt, estq; in ea non dubie plurimū, sed ipsa (ut idem uult) excollendo (sicut alia omnia) augetur. Hæc utiq; eiusmodi est, ut præter eam totus labor, qui impenditur huic studio, inanis feré sit, nisi cæteræ partes hoc ueluti spiritu contineantur. Nam & omnis disciplina memoria constat, frustraq; docemur (ut idem author ait, si quicquid audimus, præterfluat. Quin uero & ob id ipsum haud immerito thesaurus eloqētiæ di-

tiæ dicitur. In quã etiã sententiã de memoria Cicero in prologo operis de oratore ita pronuntiat. Quid de thesauro (inquiẽs) rerũ omniũ memoria dicã, quæ nisi custos inuentis excogitatisq; uerbis & rebus adhibeatur, intelligimus omnia, etiam si præclarißima fuerint, in oratore peritura, Quã proinde idem Cicero in rhetoricis ad Herennium ita definit. Memoria est firma animi, rerum & uerborũ, dispositionisq; perceptio. Hæc licet natura maxime constet, multũ tamen in ea ualere artem & præceptionem certum est. Sunt igitur (quantũ quidem ex his uerbis pcipere possumus) memoriæ duæ, una naturalis altera artificiosa. Quæ etiã ita inter se mixtæ sunt atq; coniunctæ, quemadmodũ de ipsis Chirius Fortunatianus sentire non male uidetur, ut sicut naturalis arte seruãda est, ita artificialis iuuanda sit natura.

DE DVPLICI MEMORIA quid utraq; sit.

IAm quid utraq; sit, seorsum dicamus. Itaq; naturalis memoria est, quæ nostris animis insita est, & in nobis sine multa cogitatione nata. Artificiosa uerò ea est, quã confirmat inductio quædam & ratio præceptionis. Quippe quæ ediuerso multa indiget cogitatione, imò nihil æque (ut uult Quintilianus) uel augetur cura, uel negligentia intercidit. Huius porrò artificij hoc munus præcipuum est (ut ex

Martiano Capella ad uerba Ciceronis hoc addam) ut non tantum firma, uerum etiam celeri cõprehensione res uerbaq; percipiantur. Constat autẽ artificiosa hæc memoria ex locis & imaginibus. Locos hic eos appellamus, qui breuiter, perfecte insigniterq; aut natura, aut manu absoluti sunt, ut eos scilicet facile naturali memoria comprehendere & amplecti queamus. Natura, ut mons, antrum, scopulus, aut conuallis aliqua. Manu, ut ædes, theatrum, templũ, imagines sunt formæ quædam & notæ & simulachra eius rei, quã meminisse uolumus. Quod genus sunt (exempli gratia) equi, leones, aquilæ, aut aliarum quarumlibet rerum, ut si de equitatu, aut de equestri certamine dicturi de hoc firmam celeremq; habere uoluerimus memoriam, equi imaginem in certo aliquo loco collocare oportebit. Sed de memoria artificiali pauca hæc ex Cicerone ad Herenniũ summatim collecta sufficiant, reliqua inde petantur, ut qui de hac ipsa lib. tertio copiose tractat.

QVA RATIONE MEMORIA artificialis inuenta sit, & à quo primũ inuenta, & de eius obiter præceptis quibusdã partim ex Quintiliano, partim ex Martiano Capella.

ARtificialis memoriæ præcepta inuenisse perhibetur Simonides poëta, idemq; philosophus

hoc mo-

hoc modo. Cum enim conuiuij locus cui ille interfuerat, subito corruisset nec possent propinqui ex suis obtritos obrutosq́; internoscere, imó uero illorum corpora ita oppressa atq; confusa iacerent, ut non ora modo nulla nota, sed nec membra omnia requirentes ad sepulturam discernere possent, tum Simonides dicitur memor ordinis, quo quisq; discubuerat, corpora quæq; suis redidisse. Quo tum idem admonitus intellexit ordinẽ esse, qui memoriæ præcepta suggereret atq; cõferret. Is uero in locis illustribus, eisdemq́; non longis interuallis distantibus meditandus excogitandusq́; est, in quibus rerum & sententiarum imagines collocande sunt, ueluti nuptiarum flammeo uelatam aut homicidæ gladium uel arma deponas, quas rerum species locis tanq̃ depositas memoria reddat. Nam sicut id quod scribitur, cæra continetur & literis, sic quod memoriæ commendandũ est, in locis tanq̃ in cæra paginaq́; signetur. Imaginibus enim quasi literis rerum recordatio continetur. Quæ tamen res (ut supra dictum est) magnam exercitationem laboremq́; conquirit. In qua illud obseruari solere compertum est, ut scribamus ipsi, quæ facile uolumus retinere hoc est, meminisse, deinde ut si longiora fuerint, quæ sunt ediscenda, ea per partes diuidantur: Diuisa enim per partes facilius memoriæ inhærescunt. Tum apponere notas rebus singulis, quas uolumus maxime meminisse, oportebit. Præterea quæ

ediſcenda ſunt atq; memoriæ mandanda, non magna uoce legenda ſunt, ſed murmure potius meditanda. Tum & nocte magis quã interdiu maturius excitari memoriam manifeſtum eſt, cum ad hoc ſilentium non parum iuuat, nec foras à ſenſibus uocatur intentio. Hæc ita ex Martiano Capella maiori ex parte.

DE PRONVNTIATIONE eiusq; partibus.

SEquitur hinc ultima rhetorice pars pronũtiatio, quæ à plerisq; huius artis ſcriptoribus (Quintilianus ait) actio dicitur, ſed ut pronuntiatio nomen à uoce, ita actio à geſtu accipere uidetur. Hãc Cicero ad Herennium ita definit. Pronuntiatio, eſt uocis uultusq; & geſtus moderatio cum uenuſtate. Vnde & partes eius (ut uult Martianus Capella) tres colliguntur, uox, uultus, geſtus,. Alij autẽ (ut Cicero & Quintilianus) duas eius partes faciunt, uocem atq; motum, ut qui motum ſubdiuidere uideantur in uultum & geſtum. At priusq̃ de partibus his (ut cœpimus) proſequamur, pauló altius quædã de pronuntiatione ex Quintiliano ipſo repetamus oportet, ut per quæ uirtus eius plenius cognoſcatur. Habet autẽ res ipſa (ut ille ait) miram quandã in orationibus uim & poteſtatem. Nam non tam refert, qualia ſint quæ intra noſmetipſos compoſuimus, quã quomodo efferantur,

rantur. Nam ita quisq; ut audit, mouetur. Affectus siquidem omnes languescant, necesse est, nisi uoce, uultu, totiusq; prope corporis habitu inardescant. Vnde non immerito Aeschines cum exularet in insula Rhodo, De Demostene dixisse fertur admirantibus eius orationẽ Rhodijs, quid si ipsum audissetis: De quo etiam diuus Hieronymus in prologo in uetus testamẽtum meminit eisdem feré uerbis, quibus id quod de utroq; ex Quintiliano hic referimus. Atq; hac de causa interrogatus Demosthenes quid esset in toto dicẽdi genere summum, pronuntiationi palmã dedit. Et Marcus item Cicero unam in dicendo actionem dominari putat. Cum igitur actio omnis siue pronuntiatio in duas diuidatur partes, in uocem & gestum, quarũ altera oculos, altera aures mouet, ut per quos duos sensus omnis ad animũ penetrat affectus, prius de uoce hinc dicendum est, mox de gestu. In uoce prima illa est obseruatio, qualem habeas, secunda quo modo ea utaris. Natura uocis duabus spectatur rebus, quantitate & qualitate. Quantitate, an sit grãdis aut exigua. Qualitate, an sit plena, an exilis, an leuis, an aspera, an cõtracta, an fusa, an dura, an flexibilis, an clara, an obtusa. Et sicut bona, hoc est dotes eius cura augentur, ita negligentia minuuntur. Studendum ergo, ut sint fauces integræ, hoc est molles & leues, quarum uitio econtra & frangitur, & obscuratur, & exasperatur, & scinditur uox. Vt si

sunt tumentes, si obtusæ obscurant, si rasæ exasperant, si conuulsæ fractis sunt organis similes. Humor quoq; uocem & nimius impedit, ita consumptus destituit. Ante omnia autem uox consuetudine & exercitatione firmetur. Hæc de priori pronuntiationis parte nẽpe uoce paßim collecta sufficiat. Ad gestum nũc trãseamus.

DE GESTV, QVO PACTO IN pronuntiatione sit obseruandus, & quãta sit eius uis.

GEstus (ut idem docet Quintilianus) talis esse debet, ut uoci ipsi consentiant sic tamen ut magis ad sensus q̃ ad uerba accõmodatus sit. Is quantum habeat in oratore momenti, satis uel ex eo patet, quod pleraq; etiam citra uerba significat. Quippe non manus solum, sed mutus etiam declarant nostram uoluntatẽ, ut quæ in mutis pro sermone habentur, & salutatio frequenter sine uoce intelligitur, & ex uultu progressuq; sæpe habitus animorũ perspicitur. Cuius rei exẽplũ non adeó alienum à proposito de Peribonio quodam homine plane uitioso quidẽ, sed simplici & minime fucato à Iuuenale satyra secunda annotatum est, imó ueró qui ob id ipsum ab eodem poëta modo quodam præ sui similibus laudatur cõmendaturq;, ꝙ cum cæteri uitia sua egregie nouissent dißimulare hypocrisi

quadam

quadã, nempe barbæ hiſpiditate, fronte & ſupercilio, deniq; magna tacendi libidine: ille qualis erat, talẽ uultu inceſſuq; ſe omnibus exhibuiſſet nihil prorſus diſsimulans, unde de hypocritis illis & mox de Peribonio ipſo, ad hũc modũ poêta inter alia pronũtiat.

Rarus ſermo illis, & magna libido tacendi,

Atq; ſupercilio breuior coma.

Sed & paulo ante de eiſdem, Hiſpida barba quidem, & duræ per brachia ſeræ promittunt atrocem animum. Deinde non multo poſt ſubiungit atq; concludit. Verius ergo.

Et magis ingenue Peribonius, hunc ego fatis.

Imputo, qui uult morbum inceſſuq; fatetur.

Nec mirum (ut ad propoſitum reuertamur) ſi iſta quæ tamen in aliquo poſita ſunt motu, tantũ in animis hominũ ualent cum pictura tacens opus ſic penetret effectus, ut ipſam uim dicendi non nunq̃ ſuperare uideatur. Hinc non ab re Aeneas à Virgilio in primo Aeneid. lacrimans inducitur ex picturæ aſpectu, in qua uidet iliacas ex ordine pugnas. Vnde tũ ille ad Achatem itineris ſui comitem de his obiter inter alia cõmemorans. Sic ait, atq; animũ pictura paſcit inani, Multa gemens largoq; humectat flumine uultum. Contra uerò ſi geſtus ac uultus ab oratore diſſentiãt, ut ſi triſtitia dicamus hilares. affirmemus aliqua renuentes, non autoritas modo uerbis, ſed etiã fides deſit. Decor quoq; à geſtu atq; à motu uenit. Præcipuũ

uerò in actione, sicut in corpore ipso caput est cum ad ipsum decorem, tum etiã ad significationẽ decoris, ut sit primo rectum, & secundũ naturam. Nam deiecto humilitas supino arrogantia, in latus inclinato languor, præduro acri genti barbaries quædam mẽtis ostenditur. Aspectus enim semper eodem uertatur, quo gestus, exceptis quæ aut damnare, aut concedere, aut à nobis remouere oportebit, ut idem illud uultu uideamur auersari, manu repellere. Dominatur maxime uultus in oratione. Nam hoc supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc submißi sumus, hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant, etiam anteq̃ dicamus, hoc quosdam amamus, hoc odimus, hoc plura intelligimus. Hic est sæpe pro omnibus uerbis. Sed in ipso uultu plurimum ualent oculi, per quos maxime animus emanat, ut citra motũ quoq; & hilaritate enitescant, & tristitia quoddam nubulum ducant. Quin etiam lachrymas his natura mentis indices dedit, quæ aut erũpunt dolore, aut lætitia manant. Sed & de cæteris ipsius capitis imo totius corporis membris quo pacto in dicendo orator utatur, dicendum quoq; foret ex eodem Quintiliano, nisi id ad modũ longum esset, & à nostro instituto quodã modo abhorreret, tantũ de manibus illud subdamus, quod in his non parua uis actionis consistat. Manus (inquit ille) sine quibus trunca esset actio ac debilis, uix dici potest, quot habeat

beant motus, cum pene ipsam uerborum copiam prosequantur. Nam cætere partes loquentem adiuuant, hæ prope ipse loquuntur. An non his poscimus? pollicemur; uocamus? dimittimus? miramur? supplicamus? abhominamur? timemus? interrogamus? negamus; gaudiũ, tristitiã, dubitationẽ, confeßionẽ, penitentiã, modum, copiam, numerum, tempus ostendimus? Nonne in demonstrandis locis atq; personis aduerbiorum atq; pronominũ obtinent uicem? ut in tanta per omnes gẽtes nationes que linguæ diuersitate, hic mihi omnium hominũ cõmunis sermo esse uideatur. Tantum igitur ad præsens de gestu ac motu in actione siue pronuntiatione? Reliqua apud magnos huius artis scriptores quærantur. Ad illud quoq; nunc addamus, quod & quibus rebus hæc omnia assequi poterimus, idq; ex Cicerone ad Herennium.

QVOT ET QVIBVS REBVS hæc omnia assequi poßimus.

HAec omnia (Cicero ad Herennium ait) tribus potißimũ rebus assequi poterimus, arte, imitatione, & exercitatione. Ars est præceptio, quæ dat certam uiam rationemq; dicendi. Imitatio est, qua impellimur diligenti ratione, ut aliquorũ similes in dicẽdo esse ualeamus. Exercitatio est aßiduus usus consuetudoq; dicendi. Sed hic animaduertere debemus,

hæc non minus alijs plerisq; artibus cõgruere posse, si speciatim iuxta officium & proprietatẽ uniuscuiusq; definiantur, uel generatim per agendi uerbum.

Finit Tractatus Quartus.

IN TRACTATUM QVINTUM de Oratione præfatio.

TEmpus & ordo hic nos admonẽt, ut promissa soluamus, hoc est ut de oratiõe agamus. Quid sit aũt oratio, quæ quidem ex sententia diui Seuerini Boethij posita est artis rhetoricæ ueluti instrumentũ quoddam, citius fortaßis ex eius partibus deprehendas, q̃ ex definitione. Ideo partes ipsius q̃ primũ aggrediamur, quarum de numero non inter omnes huius artis scriptores conueni hactenus. Nã alij quinq;, alij sex orationis partes esse dicunt. Qui sex esse dicunt, ij partitionem siue diuisionem reliquis quinq; adnumerãt, quæ sunt? Exordium, Narratio, Confirmatio, Confutatio & peroratio, ut ex quibus ipsa oratio integratur & constituitur. Porró diuisio siue partitio cur à nonnullis inter partes adnumeretur, eius nos

eius nos superius rationem reddidimus. De partibus orationis deinceps per ordinem dicamus.

DE EXORDIO.

EXordium est (quemadmodũ à Cicerone ipso ad Herenniũ definitur) principiũ oratiõis, per quod animus auditoris aut iudicis constituitur, uel apparatur ad audiendum. Definitur item à Martiano Capella hoc modo. Exordium est oratio noscendæ causæ præparans auditorem. Cæterum præparatur auditor ad audiendum, si beneuolus, attentus & docilis reddatur. Ad quod tamen præstandum, prius nosse ac scire oportebit, cuiusmodi ea causa sit, quæ ab oratore sumetur ad dicendum. Nam id nisi exploratum habuerit orator, difficile ei fuerit intelligere, quo nam pacto exordiendum sit, hoc est an statim ab ipso principio, an ab insinuatione, quæ tanq̃ duo mẽbra exordij ab omnibus ferè huius artis scriptoribus ponuntur, ut de quibus pauló post seorsim dicemus. Interim de causarum qualitatibus, quæ ab alijs & cũ primis à Mar. Cicerone genera dicuntur, ex eodem agamus.

DE GENERIBVS SIVE QVAlitatibus causarum.

Causarũ

Causarum genera siue qualitates quatuor à Cicerone ad Herennium statuuntur, honestum, turpe, dubiū siue anceps, & humile, quibus ab eodē in rhetoricis de inuentione additur genus causæ obscurum. Sed hoc loco scire licet genus hic non accipi ut superius, ubi tria posita sunt genera causarū, quæ certe non aliud sunt q̄ tres ueluti species causarum, quas etiā nō improprie specificas differentias ipsarū causarum appellaueris, sed pro qualitate, ut intelligamus hic, quatuor esse causarum qualitates & hæc quidem causarum genera siue quatuor siue quinq; cōstituantur, aut etiā plura, in uno quoq; illorum triū contineri. Atq; ita cum causa in aliquo illorum trium generum tractabitur, tum in primis uidendum est, qualis nam ea causa sit, num honesta, num turpis, nū dubia siue anceps, num humilis, num obscura, num etiam admirabilis. Nam & hæc à quibusdam inter causarum genera ponitur. Dicimus ergo ex ipsius Ciceronis sententia, quod genus cause honestū est, quod ab omnibus suscipiendum & defendendum uidetur. Cuiusmodi etiā generi statum uel sine oratiōe aliqua auditoris animus applaudit, fauetq;. Turpe deinde genus causæ est, quod contra ab omnibus oppugnandum uidetur, hoc est ut ad Herennium idem Cicero definit, cum aut res honesta oppugnatur, aut turpis defenditur, ut si quis causam hæretici defendere uellet, quod profecto apud Christianos turpe admodum

esset, aut si quis hominis integri & inculpatæ uitæ & optime de repub. meriti causam opugnare conaretur, quod ipsum quoq; non minus turpe uideretur. Dubiū siue anceps genus causæ est, cum habet in se res ad dicendū proposita ut honestatis ita turpitudinis partem. Humile, cum res plane contempta ad dicendum suscipitur. Obscurum est, quod nisi tardius ægriusq; auditor percipere non potest. Admirabile est, à quo animus auditoris plane alienatus est, uel(ut Quintilianus de illo li. quarto, ait) quod præter opinionē hominū est constitutum. Quoniā igitur tam diuersa inter se sunt genera siue qualitates causarum de quibus nunc agimus, exordiri quoq; dispari ratione in uno quoq; genere ex illis tribus supradictis necesse erit, id quod ex ipsius exordij diuisione mox luce clarius euadet.

DE DVOBVS EXORDII GENEribus siue partibus siue membris.

HIs ita expositis, dicendū restat q̄ exordij genera siue partes siue membra duo sunt. Principiū & Insinuatio. Principium est oratio, qua statim auditoris animū nobis idoneū & promptū ad audiendū reddimus. Insinuatio uero oratio est, quæ per dissimulationem, & ueluti per circuitionem, hoc est, per ambages quasdā auditoris animū subiens, ipsum ad audiendum

dicendum

dicendum præparat. Itaq; si genus causæ honestum erit, licebit principio uti uel non uti, cum alias auditoris animus tali causæ (ut dictum est) faueat, ac eam lubens audire uelit. Si turpe erit, iam insinuatione utendum est. Si dubiũ siue anceps à beneuolentia principiũ statuemus, cauendo interim, ne quid turpitudinis pars illa nobis obesse poßit. Si humile, attentũ auditorẽ faciemus, sicut in obscuro docilem, in admirabili beneuolum, attentum & docilem.

QVO PACTO AVDITORES beneuoli, attenti & dociles reddantur.

SEd & quo pacto omnia ista præstemus, hoc est auditores beneuolos, attentos & dociles reddamus, uidendum deinceps. Beneuolos igitur auditores (ut Cicero in rhetoricis ad Herennium id docet) quatuor modis facere possumus, uidelicet aut à nostra, aut ab aduersariorum, aut ab auditorũ persona, aut ab ipsis rebus. A nostra persona beneuolentiam (inquit) contrahemus, si nostrum officium sine arrogantia laudabimus, aut si quales in rempub. aut in parentes, aut in amicos, aut in eos ipsos qui audiunt, fuerimus, cum modestia referemus. Ab aduersariorum persona beneuolentiam captabimus, si eos in odium, in inuidiã, in contemptionẽ non citra illorum culpam adducemus. Ab auditorum persona beneuolentia colligetur,

si res

si res eorum sine notabili aliqua assentationis suspicione laudabimus. Ab ipsis rebus, si nostrã causam laudando extollemns, & aduersariorum per contemptionem deprimemus. Attentos porró auditores habebimus, si pollicebimur nos de rebus magnis, nouis, inusitatis uerba facturos? aut de his rebus quæ ad remp. pertinent, aut ad eos ipsos qui audient. aut ad dei optimi maximi religionem, aut ad pietatem, nos esse dicturos, & si rogabimus, ut attente audiant, et si numero exponemus res, de quibus dicturi sumus, hoc est, si de duabus pluribusue rebus nos dicturos pollicebimur. Dociles tandẽ auditores reddemus, si summam rei breuiter exponemus, & si attentos esse faciemus. Nam docilis is est qui attente uult audire, ut ille ait. Cæterum hæ tres utilitates tametsi in tota oratione ipsi oratori comparendæ sunt, per exordiũ tamen id cum primis tentandum.

DE EXORDIORVM VITIIS.

IAm etiã de uicijs ijs quæ in exordijs cõtingere solẽt, breuiter dicamus. Vitia exordiorũ hæc sunt, apparatum, uulgare, cõmune, cõmutabile, longum, separatum, translatum, & in summa contra præcepta. Apparatũ exordium est, quod nimis cõcinne & splẽdide compositum est. Id eiusmodi est, ut secum adferat suspitionem longe ante habitæ præmeditationis.

Vulgare

Vulgare est, quod in plures causas potest accommodari. Commune, quod peræq; aduersariorum causæ ac nostræ conuenire posse uidetur. Cõmutabile est, quod ab aduersario leuiter commutatis uerbis, ad suã causam traduci potest. Longum est, quod pluribus uerbis compositum est, quã causa postulat, hoc est, (ut in rhetoricis de inuẽtione Cicero docet) quod pluribus uerbis aut ultraq̃ satis est, producitur, & ut Victorinus exponit, nimijs, tum uerbis tum sententijs inuolutũ est. Separatum est, quod non omni ex parte toti causæ cohæret, siue quod non ex ipsa causa ductũ est. Translatum est, quod non id conficit, quod opus est conficere, ut si aut insinuatione utaris, cum principio opus sit, aut contra: aut si cum beneuolentiam nobis maxime opus sit captare, nos auditorem attentum facere conemur. Contra præcepta exordium est, quod neq; beneuolum, neq; attentum, neq; docilem reddat auditorem. Hæc hactenus ferè ex Trapezun. Sit igitur (ut Cicero ad Heren. nos admonet) sermo ad dicendum compositus leuis, sit uerborum usitata consuetudo.

DE NARRATIONE.

SEquitur narratio, quæ à Cice. in rhetoricis de inuentione definitur, rerum gestarum aut perinde ac gestarum expositio. A Marci. uero Capella hoc

hoc modo

hoc modo. Narratio est, rerũ gestarum aut uerisimiliũ expositio, uel sic, ut à Trapezuntio. Narratio est oratio, quæ rem gestam, aut perinde ut gestam diligenter exponit. Huius idem Cicero ad Herennium tria genera facit, unum quo exponimus rem gestam, & unũquodq; eorũ quæ narrantur, ad nostrã utilitatẽ uincendi causa trahimus, quod genus narrationis quidã ciuile appellãt. Alterum genus narrationis est, quod intercurrit nonnunq̃ aut fidei, aut criminationis, aut transitionis, aut apparationis, uel laudationis causa. Fidei scilicet ut fidem eirei de qua loquimur, uel utcunq; comparemus. Criminationis, ut si digrediaris à re proposita. & ante actam aduersarij uitam exponas, ut citius credatur talis esse, qualis accusatus est. Transitionis, ut commode de una re ad aliam digreßio fiat. Quemadmodum Ouidius libro primo Methamorphoseõ, ubi ait. Inachus unus abest, ut sic præcedenti fabulæ sequentem apte commodeq; coniungeret. Apparitionis, ut quæ per amplificationem apprime & exornationem fieri solet, qua usus est Virgilius in primo Aeneidos in descriptiõe apparatus Didonis erga Troianos. Nam breuibus alloqui uerbis ea res ab eodem describi poterat, sed apparatu usus est amplificationis pariter & exornationis causa. Laudationis, ut cum ad laudandũ quempiã digredimur aliquantisper, quod narrationis genus digressorium ob id uocant. Tertium genus est, quod à causa ipsa remotũ est, in quo tamen exerceri conuenit, quo cõmodius illas

ſuperiores narrationes tractare poßimus. Eius narrationis duo ſunt genera. Vnũ quod in negotijs poſitũ eſt, & tres habet partes, Fabulam, Hiſtoriã, Argumentũ. Fabula eſt, quæ neq; ueras neq; ueriſimiles continet res, ut ſunt hæ fabulæ, quæ in tragœdijs narrantur. Cuiuſmodi etiam fabulæ ſunt eæ, quas Ouidius in opere metamorphoſeon deſcribit, & quæ ab Aeſopo Græco authore proditæ ſunt. Hiſtoria eſt narratio, quæ rem geſtã, ſed ab ætatis noſtræ memoria remotam continet, ut Liuij apud Latinos, & item Saluſtij, apud Græcos Thucididis, & Polybij. Argumentũ eſt oratio, quæ rẽ fictam ſed ueriſimilem exponit, id eſt talem, quæ fieri poteſt. Velut eæ res quæ in comœdijs narrantur. Alterum genus narrationis eſt, quod in perſonis poſitum eſt, id habere debet ſermonis feſtiuitatẽ, animorũ dißimilitudinem, grauitatẽ, leuitatẽ, & cætera huiuſmodi. Feſtiuitatẽ quidem ſermonis, qualis exempli cauſa Gnatonis ſermo in Eunucho ad Thraſonem apud Terentiũ. Feſtiuus enim ſermo dicitur, qui lepidus eſt & iucundus. animorũ dißimilitudinẽ, ut Mitionis & Demeæ apud eundem Terentiũ in Adelphis, ut quorum alter durus alter mitis inducitur. Grauitatem, qualis apud eundem in Andria ipſius Simonis ſermo, quo Soſiam alloquitur & Chremetem. Leuitatem, ut Demæneti apud Plautũ in Aſinaria, qui una cum filio inter ſcorta uerſabatur.

DE TRIBVS NARRATIONIS uirtutibus ſiue laudibus.

Narratio

NArratiōis præterea tres uirtutes ac laudes hā-bentur, ut ſit lucida, ut ſit breuis, ut ſit uériſi-milis, quibus quidē uirtutibus ſi careat narratio, uitio-ſa omnino cenſetur. Lucida eſt narratio, ſi non ſit con-fuſa, ſi uera, ſi rem uſitatis uerbis & non longo uerbo-rum circuitu, demonſtrat, hoc eſt, ut Cicero tradit ad Herennium, ſi ut quicquid primum geſtum eſt ita primum exponimus, & rerum & temporum ordinem ſeruamus. Breuis eſt ſi inde narrare incipimus, un-de neceſſe eſt, & ſi non ab ultimo initio, hoc eſt (ut ille dixit) non ab ouo repetimus quæ dicturi ſu-mus, & ſi ſumatim, & non particulatim narramus, & ſi non ad extremum uſq; ſed eo uſq; tantum, quo uſq; opus eſt, proſequamur, & ſi nullis utimur tran-ſitionibus, & ſi non à ſcopo (quoddici ſolet) deerra-mus, & ſi rerum exitus ita ponimus, ut quæ ante quoq; facta ſunt, ſciri poßint, tametſi ipſi reticeamus, & ne bis aut ſepius idem dicamus. Quod genus narrationis eſt, ut idem Cicero tradit, ſi dicas. Athe-nis Megaram ueſperi aduenit Simo. Vbi aduenit Me-garam, inſidias fecit uirgini. Inſidias poſtq̄ fecit uim in loco attulit. Veriſsimilis eſt narratio, ſi ut mos hominum, ut opinio, ut natura poſtulat, dicimus, ſi temporum ſpacia, perſonarum dignitates, id eſt ut quaq; perſona digna eſt, ſi conſiliorum ratione, ſi locorū oportunitates, id conſtant, ita ut ne refelli qui-dem ab aduerſario poßit, aut temporis parum fuiſſe, aut

causam, rationemue nullam fuisse, aut locum idoneum non fuisse, aut homines facere aut pati non potuisse. Quae omnia, etiã si res uera est, quæ narratur, conseruãda nihilominus sunt. Nam sæpe ueritas: nisi hæ circumstantiæ seruentur, fidem facere non potest. Sin ficta uel uerisimilis tantum res fuerit, eo magis conseruanda sunt.

DE DIVISIONE, QVAM TERTIAM quidem orationis partem faciunt

Diuisio est (ut ea quoq; à Cicerone ad Herenniũ definitur) per quã aperimus, quid cum aduersarijs nobis conueniat, & quid in controuersia sit, & quibus de rebus dicturi sumus. Hanc quidem orationis partem ipse Cicero in rhetoricis de inuentione, & cæteri ferè omnes partionẽ appellant, quã & huiusmodi esse dicunt, ut per eam tota oratio illustris & perspicua reddatur. Quod & Quintilianus libro quarto operis sui de oratoria institutione, his uerbis confirmat. Partitionẽ (inquiens) quæ aut nostrarũ, aut aduersarij propositionũ enumeratio quædã est, quidã utendum semper putant, quod & ea ipsa fiat causa lucidior, & iudex attentior atq; docilior, si scierit, & de quo dicimus, & de quo dicturi postea sumus. Et pauló post subdit. Hæc (inquiens) naturam ducẽ sequitur, adeo ut memoriæ id maximũ sit auxiliũ dicendi uia non decedere. Hæc ostẽ-

dit atq;

dit atq; proponit, quid sit de quo cōueniat, quid de quo ambigatur, in eo quod conuenit, quid aduersarius fateatur, quid nos. Atq; ideo hanc nonnulli inter partes orationis recentes propositionem uocant.

DE PARTIBVS DIVISIONIS.

Ex ijs quae dicta sunt hactenus de diuisione, haud difficile est colligere, duas eius esse partes, quarū Trapezuntius alterā seiunctionē, alterā distributionē appellat. Quas et deinde definit hoc modo. Seiūctio est, per quā sic exponimus, quid nobis cum aduersarijs conueniat, ut quid in controuersia sit, seiungatur: Eandē Cicero in rhetoricis de inuentione ita definit uerbis prope eisdem, quibus & Trapezuntius. Vna (inquiēs) partionis pars est, quae quid cū aduersarijs nobis conueniat, & quid in controuersia relinquatur, ostendit, ex qua certum quiddā destinatur auditori, in quo animum suū debeat habere occupatū, hoc modo. Interfectā esse matrē ab Horeste conuenit mihi cum aduersario. Iure ne fecerit, & ei licuerit facere, id in controuersia est. Distributio quae altera diuisionis pars posita est, ea est, qua rerum earū, de quibus dicturi sumus distributa ponitur expositio, ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor. Hanc deinde in duas partes secant, in expositionem & commemorationē. Expositio est, cum res de quibus dicturi sumus, breuiter exponimus quod

43

fit uno uel altero uerbo, Vt si dicam. In hac causa iudices de paricidio mihi agendũ est simulq; dicam eũ, quẽ tutor reum, non talẽ esse, ut credibile sit eum cõmisisse homicidiũ, deinde nec causam illi fuisse occidendi nec ipsum eo tempore adfuisse, quo occisus est alter. Enumeratio est, qua numero exponimus quot de rebus dicturi sumus, id est cum res singulas ex ordine enumeranus, id quod Cicero fecit in oratione pro Põpeio magno, in qua tripartita enumeratione usus ita proponit. Primum mihi dicendũ uidetur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo. Ac deinde quoq; per enumerationẽ exponit, quot res imperator habere debeat. Ego enim (inquiẽs) sic existimo in summo imperatore quatuor has res inesse oportere, sciẽtiã rei militaris, uirtutẽ animi, authoritatẽ & fœlicitatem. In separatione illud insuper obseruandũ, ut ea solũ quæ nobis ad causam nostram utilia sunt, dicamus. Nam quæ obesse possunt, aut nihil iuuant, non hic solum, sed per totam orationem prætermittenda sunt. Sed nunc ad cõfirmationem ueniamus.

DE CONFIRMATIONE QVID SIT tum & de argumentatione.

DEinceps autem quid sit confirmatio dicamus. Hæc à Cicerone ad Herenniũ ita definitur. Confirmatio est nostrorum argumentorũ expositio cum asseueratione

ratione. Trapezuntius eam sic definit, sed in eundē sensum. Confirmatio est oratio, per quā nostras argumētationes cum asseueratione exponimus. Cum asseueratione uterq; ait, hoc est cum instantia quadā & uocis uultusq; actione. Quæ (ut Quintilianus libro undecimo oratoriæ institutionis tradit) tantam uim habet inter ipsa argumenta, ut interim plus ipsis probationibus ualeat, unde idem alibi ait. altera ex asseueratione probatio est, imó & quorundā probatio in sola sita est asseueratione et perseuerantia. Vt si quis ita dicat, Ego hoc feci. Tu hoc mihi dixisti, & ó facinus indignū, & talia. Sed & confirmationē ipsam alibi Cicero ad hunc modū definit. Confirmatio est, per quā argumentando nostræ causæ fidē, authoritatē, & firmamentū adiungit oratio. Hic in hoc quod dicit argumentando separat confirmationē à narratione. Nam & ipsa narratio facit fidem, sed non argumentando. Itaq; propriū confirmationis est (ut uult Victorinus hunc locū exponēs) argumentando facere fidem. Quid autē sit fides, quid authoritas, & quid firmamentū idem Victorinus, deinde subiungit atq; exponit. Fides est (inquiens) argumentū, quo obiectum crimē probamus. Authoritas uerius & honestius est argumentū, & cui duasi necesse quis ab accusatore habeat credi. Firmamentū est argumentatio tum firmißima, tum creberrima, & quæ (ut ad Herennium Cicero tradit) contra rationē defensoris ab accusatore affertur hoc modo, Cum usus fuerit

Orestes hac ratione, quod iure occiderit matrem, quia illa patrem meũ occiderat, tum accusator firmamento utitur hoc modo: sed non abs te occidi, neq; in damnatã pœnas pendere oportuit. Itaq; cum confirmatio ipsa, sicut & confutatio non peragatur, nisi argumentatiõe, adeo ut in his duabus partibus, confirmatione (inquã) confutatione idem Cicero ad Herenniũ dicat totam spẽ uincendi & rationẽ persuadendi positã esse, de argumentatione simul, & de argumentis nõnulla quæ supra de his dicta sunt, breuiter hic repetenda ueniunt, & quædã ex his pauló altius latiusq; tractanda. Quid sit autem tam argumentatio q̃ argumentũ, iam alias a nobis expositũ est. Sed nunc quemadmodũ Cicero in rhetoricis de inuentione argumentationẽ distribuat in inductionem & ratiotinationem, ac utranq; partem postea definiat, quãta poterimus breuitate subiungamus.

DE INDVCTIONE.

INductio (ut idem Cicero loco proxime allegato definit, & post hunc Chirius Fortunatianus) oratio est, quæ rebus non dubijs captat assensionẽ eius, qui cum cõstituta est, cuius etiã ea uis est, ut assentione illa fiat, ut ei cum quo instituta huiusmodi fuit argumentatio, dubia quædã res propter similitudinẽ earũ rerum, quibus ille assensit, probetur. Huius quidẽ exemplũ mox subijciemus, ubi prius exposuerimus, quod in hoc genere argumen-

gumentationis nobis ſpectanda obſeruandaq; ſint. Hæc aũt tria ſunt, ut Victori. hunc locũ enarrans, ex ea Cicero. ſententia enumerat ac colligit, primum ut illud quod inducimus per ſimilitudinẽ, eiuſmodi ſit, ut neceſſe ſit concedi, hoc eſt ut tales ſimilitudines proponamus, ut ei ſit neceſſe aſſentiri. Nam illud dubium eſſe non debet, per quod alteri fidẽ facere uolumus. Deinde uidẽdum eſt, ut illud cuius confirmandi cauſa fit inductio, ſimile his rebus ſit, quas res quaſi non dubias ante induxerimus. Si quidem nihil egerit propoſitio, ſi illud diſſimile eſt, cuius cauſa illas ſimilitudines propoſuimus. Tertio, ut nemo intelligat, quorſum ſpectẽt primæ illæ inductiones, hoc eſt ſimilitudinũ propoſitiones, & ad quẽ ſint exitum perventuræ, ne cũ quiſpiã intellexerit ſe ex confeſſione propoſitionis, etiã illi rei fidẽ facere, quã negauit: aut non reſpondeat. Si autẽ neſciat, quo tendat ſimilitudinis propoſito, iam ſecurus eam confitebitur. Qua confeſſione facta, etiam illud quod ante negabat, uelit nolit, concedat neceſſe eſt. Atq; ita demũ concludenda eſt argumentatio. Iam ſi ab aduerſario negetur, tum aut oſtendenda atq; probanda eſt ſimilitudo illarum rerũ, quæ ante conceſſæ ſunt, aut alia utendũ eſt inductione. Si uero taceatur, tunc aut elicienda eſt reſponſio, aut quoniã taciturnitas imitatur cõfeſſionẽ, pro eo ac ſi conceſſum ſit, concludere oportebit argumentationem. Nunc ad exemplũ ueniamus, qđ ex Quintiliano potius q̃ ex Cicerone in hunc locũ tra-

ducere uolumus, quod breuius sit, & intelligentiæ magis obuiũ, estq; huiusmodi. Quod est pomũ generosum? Nonne quod optimũ cõcederetur? Quis equus generosissimus? Nõne & hic q optimus, cõcederetur? Deinde cuius rei gratia rogatus is, cũ quo disputatio agitur. Quid? homo nõne is, generosissimus qui optimus? fatebitur plane. Nã & hoc propositum, probandum erat. Haud dissimile profecto argumentandi forma Iuuena. utitur satyra octaua, per quã inibi ostendere uult, cui homini nobilitas uere contingat, hoc modo.

Dic mihi Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? nempe uolucrem
Sic laudamus equũ, facili cui plurima palma.
Feruet, & exultat rauco uictoria circo,
Nobilis hic, quocunq; uenit de gramine, cuius
Clara fuga ante alios, & primus in æquore puluis.

Vnde demum concludit de homine ob parentum suorũ benefacta nobilitatem iactante.

Malo pater tibi si Thersites, dummodo tu sis,
Aeacidæ similis uulcaniaq; arma capessas,
Quã te Thersitæ similẽ producat Achilles.

Sane sciendũ hic quod inductio quæ à Cicerone definitur, ea à Dialecticis apud latinos exemplũ appellatur apud græcos παράδειγμα. Quo nomine Quinti. ait & de generalitate usi sunt scriptores artiũ in omniũ similiũ appositione, & specialiter in ijs, quæ rerum gestarũ authoritate nitũtur. Hinc illud est in sacro euangelio

gelio apud Ioannē, ubi Christū inducit de se loquentem ad discipulos suos. Exemplū enim dedi uobis, ut quēadmodū ego feci, & uos faciatis. Sane inter authores latinos qui huiuscemodi exempla memoriæ prodiderūt præcipuus habetur Valerius maximus, idq; plane ex professo.

DE RATIOTINATIONE SIVE syllogismo, & quibus ex partibus cōstet.

Ratiotinatio est (ut ab eodē Cicerone definitur) oratio, quæ ex ipsa re probabile aliquid elicit, quod expositum & per se cognitum sua se ui & ratiōe confirmet. In qua quidem definitione Victorinus ait quædam esse communia ratiotinationi cum inductione, quædam ipsi ratiotinationi propria, Nam quod ait oratio ex ipsa re aliquid probabile eliciens, tam inductionis est q̄ ratiotinationis. Ex ipsa re (inquā) hoc est ex re ad probandū proposita, uel (ut quibusdam placet) ex ea propositiōe quæ uulgo maior à dialecticis appellatur. Vt si actio instituta sit aduersus aliquē de homicidio ꝑpetrato, & alius quispiā huius homicidij accusetur, tum si in hac actione aduersus reum ita proponatur. Quisquis alicuius occisi inimicus fuit uerisimile est hunc illum occidisse. Hic iam nisi is aduersus quē actio homicidij instituta est, fateatur se inimicū eius (quē occidisse accusatur) fuisse, non erit aliquid probabile, hoc est argumentū, quod per se cognitū &c. Ergo si inimicus fuit,

occidisse

occidisse conuincitur, Atq; id quidẽ est per quod ratiocinatio ab inductione distinguitur, ut quod proprium est ratiotinationi. Siquidem inductio non in se ipsa cõtinet, quod per se cognoscitur, neq; sua se ui, & ratione confirmat, sed ut fidem faciat rei probandæ, similitudines ante adductæ extrinsecus præcedũt. Recte igitur (Victorinus inquit) ratiotinatio definita est oratio, quæ ex confesso argumentum continens, non similitudine aliunde adducta, sed per se cognoscitur, & sua se ui & ratione confirmat.

DE PARTIBVS RATIOTINATIONIS.

HVius quidẽ argumentationis (idem inquit Cicero) alij partes quinq; esse dixerunt, alij non plures quã tres. Qui in quinq; partes eam distribui oportere putant, aiunt primũ conuenire exponere summã ipsius argumentationis, hoc est quã uulgo appellãt maiorẽ propositionem hoc modo. Melius accurãtur ea, quæ consilio & ratone reguntur, quã quæ sine consilio administrantur: Hãc primã partẽ numerant, quã deinceps uarijs & copiosissimis uerbis approbari putant, hoc modo. Domus ea, quæ ratione & consilio regitur, omnibus est constructior rebus & apparatior, quã ea quæ temere & nullo consilio administratur. Exercitus quoq; is omnibus partibus cõmodius regitur, cui præpositus est sapiens & callidus imperator, quàm is qui

stultitia,

ſtultitia & temeritate alicuius regitur. Eadem nauigij ratio eſt. Nam nauis optime curſum conficit ea, quæ ſcientiſsimo gubernatione utitur. Hic cum iam propoſitio ſit hoc pacto approbata, & duæ partes ratiotinationis tranſierint tertia in parte aiunt quod oſtendere uelis, id ex ui propoſitionis oportere aſſumere, Hoc pacto. Nihil autem accuratius ac melius adminiſtratur, quã mundus. Huius deinde aſſumptionis quarto in loco aliam porro adducunt approbationẽ, hoc modo. Nam & ſignorum ortus & obitus definitũ quendã ordinem ſeruant, & annuæ cõmutationes non modo quadã neceſsitate ſemper eodem modo fiunt, uerum ad utilitatẽs rerum quoq; omniũ ſunt accommodatæ, & diurnæ nocturnæq; uiciſsitudines nulla in re unq̃ mutatæ nocuerũt quicq̃. Quæ omnia ſigno atq; argumento ſunt non mediocri quodã conſilio mundi naturã adminiſtrari. Poſtremo deinde loco inducunt complexionẽ eam, quæ id infert ſolũ, quod ex omnibus partibus cogitur, & colligitur, hoc eſt concluditur hoc modo. Conſilio igitur & ratione mundus adminiſtratur. Atq; hoc pacto q̃ncq; partitam illi ſtatuũt huiuſmodi argumentationem. Qui autem tripartitam eſſe dicunt, hi & ſi non aliter putãt argumentationem tractari oportere, partitionẽ tamen aliorũ reprehendunt. Quippe qui dicant à propoſitione & aſſumptione, quæ duæ principales ſunt rationis partes, approbationes illarũ non ut partes, ſed ut appendices non eſſe ſeparandas, ut ſine quibus neq;

propoſi-

propositio absoluta, neq; assumptio perfecta uideatur. Deinde illis duabus partibus, propositioni inq̃ & assumptioni complexionẽ, siue collectionẽ, siue conclusionem ut tertiã partẽ adiungit. Hactenus hæc quidẽ ex Cicerone in rhetoricis de inuentione desumpta fere sunt de ratiocinatione eiusq; partibus. Cæterũ præter inductionẽ & ratiotinationẽ aliæ quædã sunt argumentationis species, ut Enthymema, Epicherema, & Exemplũ, sed inter has ut Enthymema & Epicherema sub ratiotinatiõe, ita exemplũ sub inductiõe comprehendi possunt. Porró inductio quæ proprie à dialecticis appellatur, magis ipsis philosophis q̃ oratoribus usui est.

DE ARGVMENTIS, ET EORVM siue generibus siue differentijs.

ARgumentorum genera duo sunt, ut q̃ breuißime ea complectar, de quibus Martianus Capella & Chirius Fortunatianus, alterũ artificiale, alterũ inartificiale. Sed artificiale argumentorũ genus partes habet principales quatuor. Ante rem. In re, Circa rẽ, & post rem. Ante rem diuiditur in locos septem, qui sunt à persona, à causa, à tempore, à loco, à modo, à materia. A persona quidem, ut cũ uidendũ est, qualis fuerit eius, qui accusatus est, anteacta uita. A re, ut si ei rei perpetrandæ, qua quis accusatus est, ulla de eo fuerit suspitio. A causa, ut est amor, ira, odium, auaritia, & petulantia. A modo, ut cum quæritur an hoc

uel illo modo commodius fieri potuerit. A materia, ut qua res facilius confici poßit, ut fuste, gladio, laqueo, ueneno. In te autem loci sunt octo, à toto, à parte, à genere, à specie, à differentia, à proprio, à diffinitione, à nominis interpretatione, quē quidem locum Aristoteles ab Etymologia uocat. Sed hi à dialecticis potius petantur. Sunt alij præterea huius generis loci, sed quos breuitatis studio in præsentia ommitto, quos qui cupiat omnino cognoscere is Martianū Capellā adeat, & Chiriū Fortunatianū, & cæteros huius artis scriptores. Circa rem loci sunt decem, à Similibus, à paribus, à contratrijs, ab eo quod est ad aliquid, ab inter se collidentibus per habitationem & amißionem. A maiore ad minus, à minore ad maius, à præcedenti, ab eo quod est simul siue à coniunctis, à consequentibus, Et hic quoq; dialectici consulendi sunt Post rem loci sunt duo, ab Euentu & à iudicato. Ab euentu hoc est ad effectu. Nam sic quidam hunc locū interpretantur. A iudicato locus rursus in quinq; subdiuitur locos, cum aut omniū hominū iudicio nitimur, aut plurium, aut optimorū, aut eminentiū ex his, aut eorum, qui in unaqueq; re siue arte siue scientia uersati sunt Inartificiale deinde argumentorū genus diuiditur in præiudicia, in rumores, in tormenta, in tabulas, in iusiurandū, in testes, de quibus libro siue tractatu tertio dictum est à nobis. Quæ tamen omnia si quis exactius nosse cupiat, is ad magnos illos huius artis scriptores se

res se se

48

conferat, quos consulat potius, & ex his Ciceronē inprimis, & post hunc Quintilianū, ut apud quos latißimi campi patebunt, in quos si quis ingressus fuerit, & in ipsis spaciari libeat, omnia illa copioßime colligere poterit.

DE CONFVTATIONE.

Confutationem Cicero ad Heren. Definit hoc modo. Confutatio est contrariorum locorum dissolutio, locorum ait hoc est tum argumentationum tum argumentorum. Eandem idem in rhetoricis de inuentione sub nomine reprehensionis hoc modo definit. Reprehensio est, per quā argumētando aduersariorū confirmatio, aut diluitur, aut infirmatur, aut alleuiatur, hoc est (ut Victorinus hunc locū exponens ait) aut tollitur omnino quod aduersarius proposuit, aut infirmatur, aut leuius redditur. Sane hanc partē idem Cicero mox ini/bi subiungens dicit eodē uti inuentiōis fonte, quo confirmatio utitur, propterea quod quibus ex locis aliqua res cōfirmari potest, iisdem potest ex locis infirmari. Cui quidē Ciceronis sententiæ Quintilianus plane accedit astipulaturq; his uerbis de refutatione (quā ipse uocat) libro quinto loquens. Neq; uero ex alijs locis ratio argumentorū in hac parte peti potest, quā in confirmatione. nec locorū, aut sententiarū, aut uerborū, aut figurarū alia conditio est. Affectus plerunq; hæc pars mitiores habet. Vnde & idē mox subdit Ciceronis uerbis:

Non

Non ſine cauſa tamen ſemper eſt creditũ difficilius eſſe defendere, q̃ accuſare. Primũ, q, res illa, hoc eſt accuſatio ſimplicior eſt. Proponitur enim uno modo, uaria diſoluitur: cum accuſatori ſatis ſit plerunq; uerum eſſe id quod obiecerit, quod patronus neget, transferat, excuſet, depræcetur, molliat, minuat, auertat, deſpiciat, derideat. Quare patroni clamoſa fere & indirecta eſt actio. Hinc mille flexus & artes deſyderantur. Tum accuſator præmeditata pleraq; è domo affert, patronus etiã inopinatus frequẽter occurrit. Accuſator præterea à criminũ inuidia, & ſi falſa ſunt, materiã dicẽdi trahit, de patricidio, de ſacrilegio, de leſa maieſtate, quæ patrono tantũ neganda ſunt, Ideoq; accuſationibus etiã mediocres in dicendo ſuffecerunt. Bonus defenſor nemo, niſi qui eloquentiſsimus fuit. Nam (ut ſemel (inquit) finiam quod ſentio) tanto eſt accuſare q̃ defendere, quanto facere quã ſanare uulnera facilius. Hæc ille. Cæterum quibus modis aut infirmari, aut omnino dilui poſsit aduerſariorũ confirmatio, deinceps dicamus: Omnis (inquit ille) argumentatio reprehenditur, ſi aut ex his quæ ſumpta ſunt, non conceditur aliquod unum pluraué: aut his conceſsis, complexio hoc eſt concluſio ex his confici negatur: aut ſi genus ipſum argumentationis uitioſum oſtenditur, aut ſi cõtra firmã argumẽtationẽ, alia æque firma aut firmior ponitur. Quæ eadẽ feré omnia alijs tantũ uerbis Martianus Capella ita tradit. Reprehenditur (inquit) actio aduerſarij aut re-

arguendo, cum aut totã argumentationẽ, aut partes eius contra facere monstramus: aut repugnando, cum docemus falsa esse pro ueris assumpta, uel ex his nihil offici: aut compensando si contra argumentũ, quod aduersarius nobis proposuit, aliud opponamus. Cæterum de hac orationis parte quæ reliqua fortaßis dicenda forent, cõmodius fuerit grauiores huius artis scriptores cõsulere, ac ab illis petere, quã hic longius immorari. Vnde ad perorationem hinc transeamus.

DE PERORATIONE AC partibus eius.

SEquitur ultima orationis pars, quã alij epilogũ, alij perorationẽ, alij conclusionẽ, ut Quintilianus ait, & cumulũ uocãt. Hanc Cicero ad Herẽniũ ita definit sub nomine conclusionis. Conclusio est artificiosus orationis terminus, & in rhetoricis de inuentione. Conclusio est exitus & terminatio orationis. Hanc Quintilia. libro sexto institutionis oratoriæ positam esse dicit aut in rebus, aut in affectibus. In rebus quidẽ, quatenus per rerum enarrationem memoria auditorum & in primis ipsius iudicis reficitur, & tota causa uelut ante oculos ponitur: unde & repetitio à quibusdã, & aggregatio, & renumeratio, & à græcis ἀνακεφαλαίωσις dicitur, quæ etiã si (ut idem author dicere pergit) per singula minus mouerit, turba tamen ualet. In hac autem, quæ repetemus (inquit) q̃ breuißime dicenda sunt, & (qđ græco

græco uerbo patet)decurendũ per capita est. Ne si mo-
remur, non iã renumeratio, sed altera quasi fiat ora-
tio. In affectibus aũt ut per quos moueatur auditor, ut
lubens sequatur ad quod ipsum hortamur, & faciat id
quod persuadere conamur. Id quod tum maxime fit, cũ
per amplificationẽ utimur tũ conquestione, tũ indigna-
tiõe. Cæterũ affectus cõcitare, eisdẽq; uti tam accusato-
ri quã patrono fere cõmune est, sed huic rarius, illi sæ-
pius uti licet. Nam accusatori concitare iudicẽ patrono
flectere cõuenit. Sed & accusator interim lachrymas
habet ex miseratione eius rei quã ulciscitur: patronus de
indignitate calumniæ uehementius interim cõqueritur.
Est igitur utriq; cõmune cõciliare sibi iudicem, auerte-
re ipsum ab aduersario, concitare affectus & cõponere.
Hucusq; ex Quintiliano hæc feré de peroratione, nunc
quemadmodũ diuidatur uidendũ. Eam Cice. in rheto-
ricis de inuentiõe tres partes habere dicit, Enumeratio-
nẽ, indignationẽ, Cõquestionẽ, quas deinde partes eo-
dẽ quo posite sunt ordine definit. Enumeratio (inquit)
est, per quã res disperse & difuse dictæ unũ in locũ
coguntur, & reminiscendi causa unũ ueluti sub aspe-
ctũ subijciuntur. In qua parte hoc cõmune ab ipso Ci-
cerone præceptũ datur, ut ex singulis argumentationi-
bus(quoniã simul omnes iterũ dici non possunt) id eli-
gatur quod erit grauissimũ, et unũquodq; q̃ breuissime
transeatur, ut me memoria non oratio renouata uidea-
tur. Indignatio est, per quã conficitur, ut in aliquẽ ho-

minem ingens odiũ, aut in rem grauis offensio concitetur. In hoc quidem genere illud primũ intelligi uolumus (idẽ author ait) posse omnibus ex locis his, quos in cõfirmãdi præceptiõe posuimus tractari indignationẽ, Omnibus (inquit ille) ex locis, intellige tu tã ijs qui psonæ q̃ ijs qui rei siue negotio & causæ attribuũtur. Habẽt alioqui singulæ hæ perorationis partes & proprios & cõmunes locos, quos ex ipso Cicerone in rhetoricis de inuentione copiosißime quis colligere poterit, eosdemq́; clarißime intelligere. Conquestio est oratio auditorũ misericordiã captãs. In hac parte Cicero præcepit ac docet ante omnia animũ auditoris oportere efficere mitẽ & misericordem, quo facilius cõquestione ipsa cõmoueri auditor poßit. Id ex his (inquit) fieri poterit, per quos uis fortunæ in omnes, & infirmitas hominũ ostẽditur. At hæc hactenus de peroratione partim ex Fabio Quintiliano, partim ex Cicerone exposita, ad præsens sufficiãt. Verũ tamẽ illud ex Victorino hic nunc addamus, quod sicut indignatio propria ueluti est accusatoris, ut iram in reum suscitet ita cõquestio propria est defensoris ut in reum suscitet & prouocet miserationẽ. Quin & hoc ex Mar. Capel. insuper addamus, quod peroratiõe non tantũ in fine orationis, ubi tamen propriũ locũ tenet, sed ubi materia permiserit, in exordijs & narratiõe per digreßionẽ uti possumus.

Finit Tractatus Quintus.

IN Ci-

IN TRACTATVM SXTVM DE his quæ ad ornatum & splendorem orationis faciunt, præfatio.

Quã tractatu quarto uideri possumus de Elocutione tertia huius artis parte, atq; eius quoq; partibus satis sufficienterq; ea exposuisse, quæ ad eam ipsam partem faciunt, idq; pro modulo institutiõis nostræ quemadmodũ ab initio plane instituimus, uidelicet ut de elocutione q̃ breuissime quæ dicenda uidebantur, trãsierẽ absolueremq;, quod uiderẽ præter priscos illos rhetores, atq; ueteres huius artis scriptores, ex recentioribus quosdã tanta diligẽtia & tam accurate de hac artis parte eiusq; præceptis scripsisse ut pene pro supfluo haberi posit quicquid postea ab alijs adijciatur, aut post illos de ea scribatur. Inter quos tam priscos illos q̃ recentiores nemo meo quidẽ iudicio, accuratius, exactius, distinctius Philippo Melanchthone, præsertim de ornamentis orationis hoc præstitisse uidetur. Proinde ipsum hac in parte maxime post Ciceronẽ & Quintilianũ & proponere mihi ac sequi in animo habeo. Ta-

91

men est ratio aliqua, quæ me plane mouet ac efficit, cur præter institutum in hanc partē latius expatiari uelim, ac eam quodāmodo de integro repetere, ut quæ de hac parte tractanda super sunt, cōmodius prosequi queam.

QVIBVS IN REBVS. Elocutio uersetur.

ITaq; cum elocutio superius à nobis definita sit iuxta Cice. sententiam idoneorum uerborum & sententiarum ad inuentionem accommodatio, simulq; eodē in loco dictum sit ipsam in duabus consistere partibus, in uerbis & sententijs, nō alienū uidebitur ab hoc nostro instituto, id quemadmodū sese habeat, latius ostendere & declarare. Quod quidem nō alia ratione rectius tētandum uidetur, quā si dixerimus iuxta eiusdem Cice. ad Heren. traditionē, quibus in generibus, hoc est in figuris siue characteribus (ut græci loquuntur) omnis oratoria elocutio cōsistat, ac deinde quas res habere debeat. Dicimus ergo sed ipsius Cice. uerbis, tria esse genera siue figuras, in quibus omnis oratio non uitiosa cōsumitur, unam grauē, quæ & sublimis & grandis dicitur, alterā mediocrē tertiā attennuatā siue tenuē. Grauē idem deinde definit eam, quæ constat ex uerborū grauiū ampla & ornata constructione, Grauiū (inquit) hoc est magnorū, ut eorū quæ res magnas significāt: cuiusmodi uerba sententiæ requirūt, quæ & ipsæ in hoc genere graues esse debent. Huic ex aduerso opponitur attenua-

tennuata siue tenuis figura, ut quæ tam uerbis q̃ sentẽtijs usq; ad usitatißimã puri sermonis consuetudinẽ demissa est. Mediocris porró ea est, quæ ut graui quidem illa & sublimi ac grandi figura humilior existit, ita attennuata siue tenui grandior est & sublimior.

DE DISCRIMINE HARVM FIgurarum inter se per exempla.

SAné de his tribus elocutionis figuris siue characteribus quidã tale ferunt iudiciũ, simul & discrimen, inter ipsas ut dicant graui illa & grandi figura Virgiliũ usum esse in Aeneide, Mediocri in Georic. Tenui atq; attennuata in Bucolicis. Vnde etiam Melibœus alter ex collocutoribus in ipso statim primæ eglogæ principio à Virgilio inducitur ad Tityrũ ita loquens.

Tityre tu patulæ recumbans sub tegmine fagi
Syluestrem tenui musam meditaris auena.

Nec minus & ipsum Ciceronẽ non ubiq; in suis operibus eadem usum esse orationis figura. Quippe qui in familiaribus epistolis attennuata propemodũ & humili figura usus esse putetur, mediocri in plerisq; orationibus, qua etiã ipsi historici feré usi sunt, quanq̃ de Salustio non idẽ omnibus est iudiciũ. Graui autẽ & sublimi in his libris, in quibus de rebus philosophicis & in his cũ primis, in quibus de rebus diuinis suo more agit. Qua etiã dicendi figura seu phrasi non pauci ex theo

logis præsertim priscis illis tam græci q̃ Latini usi sunt, & inter philosophos præ cæteris Plato. Quippe quod hæc figura crebrioribus tum metaphoris, tum amplificationibus constet, quæ certæ plurimũ ad ornatum & splendorem orationis faciunt.

DE VITIIS HARVM TRIVM FIgurarũ ex eodem Cicerone ad Herennium, & quot res perfecta elocutio habere debeat.

SEd & de uitijs illarum triũ figurarum ex eodem authore quæ dicēda uidētur, prosequamur. Sicut enim corporis (inquit ille) bonā habitudinē tumor sæpe imitatur, inde licet deturpetur corpus hoc ipso nõ nihil & dehonestetur, attamē ab imperitis iudicatur, nihilominus bona esse habitudo, ita grauis & sublimis oratio sæpe ab imperitis uidetur ea quæ turget & inflata est. Id quod hoc euenit uitio, cũ aut nouis, aut nimium priscis uerbis, aut duriter aliũde translatis aliquid dicitur. Mediocris deinde figuræ uitiũ esse idē ait, quod dissolutum appellatur & fluctuās, ut quæ perfecte & probe structæ orationis nullā retinet rationē. Quippe quæ dũ humilē fugit, nimiũ ascendit, dũ tumidā uitat & inflatā, descendit. Quod orationis genus (ait) sine neruis est et articulis, translatione sumpta à corpore, quod neruis & articulis caret: ut fluctuans tale corpus & dissolutũ iure appelletur. Atetnnuatæ postremo figuræ uitium illi

um illi (inquit) cõmittere ſolent, qui in illa facetiſsima uerborum attẽnuatione commode uerſari non poſſunt, unde & hi tandẽ ad aridũ & exangue quoddã genus orationis ueniunt quod non alienũ fuerit (ut idem Cicero ait) exile nominari. Expoſitis hucuſq; tribus illis dicendi generibus ſiue figuris, ac totidem, quæ illis opponuntur, uitijs dicendũ deinceps, quas res perfecta elocutio habere debeat, idq́; ex ipſo Cicerone ad Herennium. Tres res (inquit ille) perfecta elocutio habere debet, Elegantiã, Cõpoſitionẽ, & dignitatem.

DE ELEGANTIA ET DVABVS eius partibus latinitate & explanatione.

Elegantia eſt, quæ facit, ut unumquodq́; uerbũ pure & aperte dici uideatur. Hæc diuiditur in latinitatem & explanationẽ. Latinitas eſt, quæ ſermonẽ ſeruat purũ ab omni uitio remotum. Hanc alij (inter quos cũ primis Diomedes grãmaticus) ita definiunt, ſed in eundẽ plane ſenſum. Latinitas eſt in incorrupta loquẽdi obſeruatio ſecundũ Romanã linguã. Quã deinde idẽ Diome. dicit authoritate Varronis cõſtare ex quatuor, Natura, Analogia, Conſuetudine, Authoritate. Hic Quinti. paulo aliter libro primo inſtitutionis oratoriæ, ut qui quatuor quoq; partibus (ut Diomedes) latinum ſermonẽ conſtare dicit, ſed non eiſdem omnino uidelicet his, Ratione, Vetuſtate, Authoritate, & cõſuetudine,

subijciens mox quodam modo ipsi rationi Analogiam & Ethymologiam, quarum hanc nempe Ethymologiam, eam esse dicit, quæ uerborum originem inquirat, quàm & Cicero (inquit) notationem uocat, ex recentioribus quibusdam ueriloquium, iuxta nominis græci interpretationẽ. Illã hoc est Analogiã uocari ait proportionem, uocabulo uidelicet ipso græco proxime in latinum translato. Cuius hanc uim esse dicit, ut id quod dubiũ est ad aliquid simile, de quo non quæritur, referat, ut in certa certis probet. Quod duplici efficitur uia, ut idem de ea ipsa prosequitur, cõparatione & diminutione. Cõparatione quidẽ similiũ in extremis maxime syllabis, ut qua aut genus in nominibus deprehenditur, aut declinatio. Diminutione uero, qua genus tantummodo detegitur, ut funem masculini generis esse dicamus, quoniã funiculus dicitur genere masculino. Sed hæc ab illo latius petãtur. Qui tamen interim nos meminisse uult analogiæ rationẽ nõ per omnia duci posse, ita ut ipsam analogiã nulla fecerit alia res, q̃ consuetudo. Vnde tandẽ concludit. Quare mihi (inquiens) non inuenuste dici uidetur, aliud esse latine, aliud grãmatice loqui. Qua de causa, & illud hic nos addamus, ut planius percipiantur uerba Quintiliani, ac dicamus ꝙ latine loqui nihil aliud est, q̃ in loquẽdo uti uerbis Romanis, proprijs, & incorruptis, etiã non adhibita grãmaticæ rationæ. Quando hæc postea in urbẽ inuecta fuit, confluentibus undiq; aduenis & peregrinis hominibus,

eum ante sine ullis regulis populus romanus latine loquereretur. Sed ubi iam aliarũ linguarũ permistione lingua romana paulatim corumpi & perturbari cœpit, quidam qui tum ingenio erant acutiore hoc cernentes de latinitate grammaticã scribere instituerunt, & in ea certas regulas & præcepta quibus latinitas utcunq; integra conseruaretur, tradiderunt. Et hactenus quidẽ de ratione loquendi, nunc reliqua tria prosequamur, iuxta eiusdem Quintiliani traditionẽ quæ sunt uetustas, authoritas & consuetudo. Vetera (inquit ille) maiestas quædam & religio cõmendat Authoritas ab oratoribus & historicis peti solet. Nam poëtas metri necessitas excussat. Consuetudo uero certißima loquendi magistra est, sed quæ exigat (ut & alia iam dicta) acre iudiciũ. Verũ ut sermo latinus purus & incorruptus conseruetur, duo ante omnia uitia fugienda sunt. Solœcismns & Barbarismus, sed de quibus alibi potius q̃ hic dicendũ uidetur. Atqui de latinitate hæc dicta sufficiant. Sequitur explanatio, quã Cicero ad Herenniũ ita definit. Explanatio est, quæ reddit apertam & dilucidã orationẽ, hoc est, quæ facit, ut aperta & dilucida sit oratio, Ea comparatur uerbis tum usitatis, tum proprijs. Vsitata uerba ea sunt, quæ uersantur in sermone & consuetudine quotidiana, propria quæ eius rei de qua loquimur, uerba sunt, aut esse possunt.

De Cons-

DE COMPOSITIONE EX EO-
dē Cicerone ad Herenniū, & quibus præceptis
ea custoditur, conseruaturq;.

COmpositio est uerborū constructio æqualiter perpolita. Aequabiliter (inquit ille) perpolita, id est quæ ita sit facta uerborum constructio & cōpositio, ut rotunde & uolubiliter sine obstaculo fluat dicentis oratio, id quod his præceptis summopere curatur, quæ idem author protinus subiungit de cōpositione tractans. Ea ergo cōseruabitur (inquit) si fugiamus crebras uocalium concursiones, ut quæ uastam & hiantem reddunt orationem. Cuiusmodi hæc est oratio, quā ille exempli loco subdit. Vaccæ Aeneæ amœnißime impendebant. Et si uitabimus eiusdē literæ nimiam aßiduitatem. Cui uitio (ait) hic uersus erit exemplo.

O Titi, tute Tati, tibi tanta tyranne tulisti.

Et si eiusdē uerbi nimiā aßiduitatē fugimus. Cuius præcepti idem tale reddit exemplū, ut cuius rationis ratio non extet, ei rationi ratio non est fidem habere. Et si nō utemur continenter, & similiter cadentibus uerbis, hoc modo flentes, plorantes, lachrymantes, obtestantes: & si quæ alia huiusmodi uitia sunt, uitabimus. In quibus illud animaruertendū uenit, quod ex ipsis uitijs quæ habentur, quædam si non preter modū, sed arte & ratiōe, hoc est, in loco fiant tum nō uitia dicenda sunt, sed inter uirtutes potius habenda. Sicut ediuerso & uirtutes ipsæ (authore Quintiliano) tediū nonnunq̄ pariunt & ob

id tunc inter uitia numerantur nisi uarietatis gratia adiunctæ.

DE COMPOSITIONE ITERVM sed paulo altius ex ipso Quintiliano.

CAEterũ ut hæc, quæ paulo superius de cõpositione dicta sunt, maxima quidem ex parte ab ipso Cicerone ad Herenniũ prodita, plenius percipiantur, ea nobis ex Quint. paulo alius repetenda sunt, nec id præter instituti nostri modũ uideatur. Siquidẽ ut illius uerbis utar, quantũ interest, sensus idẽ quibus uerbis efferatur, tantũ interest, qua cõpositione uel in exitu iungantur, uel in fine claudantur, in exitu (inq̃) intellige ubi desinant. Scire itaq; oportet, ut idem nos author deinde admonet, quod in omni compositione tria sunt necessaria, ordo, iunctura, numerus. Vnde fœlicissimũ eum sermonem esse dicit, cui & rectus ordo, & apta iunctura, ut cum his numerus opportune cadens contingit. Verũ de his nos tantum modo ueluti in trãscursu dicamus ex eodem authore. Ordinis obseruatio in uerbis est singulis, & cõtextis siue coniũctis hoc est sententijs. In his cauendũ est, ne decrescat oratione fortiori subiungatur aliquid infirmius, ut sacrilego fur, aut latroni petulãs. Augeri enim debẽt sententiæ & insurgere, ut optime id Cice. ubiq; obseruauit, ut in illo exẽplo ex secũda ipsius Philippica desumpto. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate &c. Aliud enim hic alio maius supuenit. Quod

si cœ-

si cœpisset à toto corpore, nõ recto ad latera faucesq́; descenderet. Est præterea naturalis ordo alius ab illo, ut uiros ac fœminas, diem ac noctẽ, ortũ & occasum dicas potius, q̃ retrorsum. Ordinẽ deinde sequitur iunctura. Ea in uerbis, in incisis, in mẽbris, in periodis cõsistit. Hic illud notandum. quod inter ea in quibus iuncturã consistere dicit, primo loco uerba ponit, post hæc incisa, deinde membra, postremo periodos, & recte quidẽ. Nam sicut (ut etiã Diomedes grãmaticus docet) ex uerborũ cõbinatiõe fit comma hoc est incisum: ita ex comatibus Colon, id est membrũ, & ex colis periodus. Quorũ omniũ exempla si quærat quispiã, ea profecto ex principio eius oratiõis pulcherrime, quã pro Milone habuit Cice. quæ incipit. Et si uereor iudices &c. colligere poterit cõmodißime quicũq; uel mediocriter in hac arte, tũ & in grãmaticæ præceptis uersatus fuerit. In uerbis igitur iuncturã cõsistere dicit, sed nõnunq̃ non sine reprehensione, quocies scilicet cõmißis inter se uerbis duobus, ex ultima prioris & prima sequẽtis syllaba deforme nomẽ aliquod efficitur, tũ etiã cum uocalium inter se creber est concursus, qui cum accidit, hiat & intersistit, & quasi laborat oratio, quæ eadẽ à nõnullis hiulca oratio dicitur. Restat post ordinẽ & iuncturam numerus, nõ is qui ex unitatibus ut apud Mathematicos cõflari & constare dicitur, sed qui proprie rhytmus appellatur. Vnde & de hoc Quintilia. lib. septimo. Numeros hic (inquit) rhytmos accipi uolo, ut quos deinde

temporum

temporū ſpatio cōſtare dicit, atq; ita diſtinguit, ut dicat aut parē eſſe, ut dactyllū. Vnā enim ſyllabā nempe longā, hic pes parē duabus breuibus habet. Aut ſeſcuplū, hoc eſt ut alij dicūt, ſeſquialterū, ut pœona, cuius uis eſt ex lōga & tribūs breuibus. Vnde hic maior numerus cōtinet minorē & eius dimidiū, ut iij.ad ij. Aut duplicē ſiue duplū, ut Iambū. Nam hic pes conſtat ex breui & longa, ut de quo Horatius in arte, Syllaba lōga breui ſubiecta uocatur Iambus. Hic ergo longa ſuperat breuē dimidio, ut ſi cōpares duo ad unū. Cæterum de numeris ſiue rhytmis (quod quidē ad hanc inſtitutionē attinet) abunde ſatis imó copioſiſſime præcepta tradunt nō oratores modo, ſed & grāmatici, inter quos præcipue Diomedes, quos cōſulere potius licebit.

DE DIGNITATE QVID SIT, ET quomodo diuidatur.

DIgnitas eſt, ut ad Herenniū Cicero tradit, quæ ornatā reddit orationē uarietate diſtinguens. Hanc idem diuidit in uerborū & ſententiarū exornationē, & utranq; paulo poſt ſeorſum ita definit. Verborū exornatio eſt, quæ ipſius ſermonis inſignita continētur perpolitione. Sententiarū uero quæ non in uerbis, ſed in rebus quandā habet dignitatē. Sed hic admonendus ſtudioſus lector uenit, quod quas Cicero & alij Ciceronē inprimis ſecuti exornationes uocant (id quod & à Raphaele Regio obiter annotatum inuenio) eas nō

nonnulli

nonnulli ex uulgo siue oratorũ siue grãmaticorũ colo- res appellare solent, sed improprie plane & per abu- sum, cũ color apud oratores proprie dicatur probabi- lis facti alicuius causa. Vnde & dicere solemus, quoti- es factũ aliquod narratur siue proponitur, quod nec ue- rum, nec uerißimile est factũ istud non habere colorẽ. Hinc apud Iuuenalẽ satyra sexta. Quintilia. inducitur ac rogatur à muliere in adulterio deprehensa, ut facti colorẽ dicat. Dic aliquẽ sodes, dic Quintiliane colorẽ. Itaq; nõ colores appellẽtur, sed ut Cicero eas uocat, & alij ex claßicis scriptoribus exornationes quod his uelut ornamentis quibusdã oratio pulchrior redditur & uenu stior, si apte & in loco accõmodentur. De quibus sequẽ ti tractatu agetur. Finit Trastatus Sextus.

INCIPIT
Septimus, qui & ultimus.

IN SEPTIMVM SIVE VLTIMVM tractatũ de exornationibus præfatio.

ABsolutis hactenus à nobis sex prioribus siue li- bris siue tractatibus in quibus quanta licuit bre uitate, capita duntaxat huius artis siue elementa quæ uo cantur, exposuimus, restat septimus qui & ultimus, in quo de exornationionibus scripturi illud ante alia præ- fari

ſari duximus, quod de exornationibus plane ſuperſedere-remus, nec quicq̃ ſcribere tentaremus, tametſi in his totũ propemodũ artificiũ conſiſtit atq; relucet, imo quæ ſunt ueluti ſumma & apex facultatis oratoriæ, niſi uereremur ne ſuper eſſent aliqui futuri, qui tractatus iſtos noſtros, iccirco ꝙ in his exornationes ipſe deeſſent deſyderarenturq;, tanq̃ mancos & mutilos atq; defectos minus lubentes amplecterentur, ut fortaſſe non erunt, qui eos amplectantur, aut etiã legere dignẽtur, ut mihi quoq; illud iam dicere liceat, quod illi apud Perſium ſatyra prima Quis legeret hæc? Præſertim cum tot extent de hac arte, & à ueteribus, & à recentioribus eleganſsime ſcripta uolumina, ut niſi quis acta agere uideri uelit non facile tentauerit poſt illos quicq̃ ſcribere de præceptis rhetoricis. Sed legent fortaſſe uel duo uel tres. At cur nõ etiã multo plures? Cum nullus hodie liber tam incultus non modo ſed mutilis prorſus edatur, qui ſuos non inueniat emptores, habeatq; lectores. Id quod me iam non parũ conſolatur, ac quodam modo inhortatur, ut hos de arte rhetorica ſcriptos à nobis tractatus, & iam unius acceſſu locupletandos q̃libet incultos ac non perinde etiã inutiles (ſi tamen meo non fallor iudicio) diuulgem ac edã in publicũ. Hac igitur ratione ſeu cauſa potius inductus ſeptimũ hunc atq; ultimũ tractatũ de exornationibus ſuperioribus illis ſex adijcere non grauabor. In quo etiã poſt Ciceronẽ ad Heren. & Fabium Quintilianũ duo ueluti huius artis lumina

Philippũ Melanchthonẽ non illibenter ſequar atq; imitabor, maxime quod is (ut alias dixi) ipſas exoruationes quodã haud indecenti ordine proſecutus ſit, qui tamen apud Cicero. ita confunditur (quod cũ uenia tanti uiri dictum ſit) ut niſi quis ualde oculatus fuerit, uix apud illum alias ab alijs diſcernere atq; dignoſcere aut etiã ſeiungere poßit. Taceo ac prætereo hic nunc eos, qui de ſchematibus ſiue figuris & Tropis tam grãmaticis q̃ rhetoricis priuatos quidẽ cæterũ non inelegantes libros a ſe ſcriptos reliquerũt. Inter quos non paruam laudẽ apud eruditos obtinuit Petrus Moſella. qui nondũ egreſſus iuuentutẽ cũ de illis ſcriberet, non multo post immatura morte nobis ſublatus eſt, nõ ſine multorum grauißimo ac prope intollerabili dolore. Quæ quidem mors immatura illi haud dubie obuenit partim ob ingenij magnitudinẽ, quod nimirũ præcox ei erat, partim ob ingentes eoſdemq; continuos labores in explicandis enarrandisq; authoribus tam græcis q̃ latinis. Id quod alia quædam lucubrationũ eius monumẽta, quæ paßim in manibus ſtudioſorum tum iuuenũ, tũ adoleſcentũ habentur, facile indicãt teſtanturq;. Hucuſq; præfati ſatis ſuperq; ad ipſas hinc iam trãſeamus exornationes, de quibus dicturi prius quidẽ uerborũ, deinde ſententiarũ exornatiões aggrediemur, quẽ ordinẽ uideo & ab ipſo Cicerone obſeruari. Attamen non aduerſabitur huic propoſito eam inſuper admittere atq; recipere diſtinctionem, qua Melanchthon illas in priori ſuæ rhetoricæ

editione, quæ certæ mihi non displicet, diuidit atq; dispescit in tres ordines. In quorũ primo eas collocat exornationes, quæ ad dictiões peculiariter pertinent. Quippe que tantũ auribus (ut ipsius uerbis utar) nõ etiam sententijs seruiant. In secũdo deinde eas, quæ sententijs magis subseruiunt q̃ uerbis. In tertio eas, quibus non modo figuratur oratio, sed simul amplificatur. tũ uerbis tum sententijs. His ita præmissis, tandẽ ad rẽ ipsam ueniamus.

DE EXORNATIONIBVS PRIMI ordinis, hoc est ijs quæ ad dictiones siue uerba peculiariter pertinent, ex quibus prima occurrit Repetitio.

Repetitio est, cũ uerbũ idem in principio orationis iteratur, ut Scipio Numantiã sustulit. Scipio Chartaginẽ deleuit. Scipio pacem peperit. Scipio ciuitatẽ seruauit. Hæc à græcis ἀναφορὰ dicitur. Conuersio est cum in fine orationis idem repetitur uerbũ, ut Italiã Hannibal armis uicit, ingenio uicit dolis uicit. Hanc ex græcis alij ἀναδίπλωσιν alij ἐπαναδίπλωσιν qdã ἐπανάληφιν uocant. Complexio est, per quã idẽ uerbũ tum in principio tum in fine orationis repetitur, ut qui sunt qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginenses. Qui sunt qui Italiã deformauerũt? Carthaginenses. Qui

sunt qui sibi postulant ignosci? Carthaginenses. Itē Virgili. Multa super priamo rogitans sup Hectore multa. Hanc græci συμπλοκὴν appellant. Duplicatio siue copulatio ut à ~~Melanchthone~~ ea describitur, est cū idē uerbū cum emphasi hoc est significantia quadam repetitur ut. Sed tandem ad illum usq; diem Memmius erat Mēmius. Talis ea fere figura est, Qua Ouidius in epistola Hermonis ad Oresten utitur.

Ipsa ego non longos etiā tunc scissa capillos
Clamabam sine me, me sine mater abis.

Traductio est, Quæ facit, ut cum idē uerbum crebrius ponitur, non modo non offendat, sed orationē etiam conciniorem reddat. Vt qui nihil habet in uita iocundius uita, is cum uirtute uitam non potest colere. Hanc græci πλοκὴν uocant, quidā ex ipsis ἐπανοδόν. Sunt & qui ταυτολογίαν uocent. Articulus est, ut Cicero eam definit, cum singula uerba interuallis distinguuntur cæsa oratione, ut acrimonia, uoce, uultu aduersarios terruisti ut autem Melanchthon cum multa uerba sine coniunctione coherent, ut ueni uidi, uici. Græci hāc ἀσύνδετον aut διάλυτον uocant, quē latini aliquando dissolutū appellant. Huic contrariū schema est, quod à græcis ipsis πολυσύνδετον dicitur, estq; cū oratio multis coniunctionibus coheret atq; connectitur, ut apud Virgiliū. Athaniasq; Thoasq; pelidesq; Neoptolemus Similiter cadens exornatio dicitur (ut Cicero inquit)cū in eadem constructiōe uerborū duo aut plura sunt uerba, quæ

ba,quæ

ba, quæ similiter eisdẽ casibus efferuntur, ut hominem laudas egentẽ uirtutis, abundantẽ fœlicitatis. Quam græci ob id ὁμοιόπτωτον uocant. Similiter desinens est, cũ tametsi casus non insunt in uerbis, similes tamẽ exitus sunt. Vt turpiter audes facere, nequiter studes dicere. Item uiuis inuidiose, delinquis studiose loqueris odiose. Item audacter territas, humiliter placas. Hanc Græci uocant ὁμοιοτέλευτον. Membrum orationis Cicero uocari ait, cum res breuiter absoluitur siue totius orationis demonstratione, quæ denuo alio mẽbro excipitur, ut inimico proderas, & amicũ ledebas. Hic membrũ eius orationis unũ est, Inimico proderas quod mox excipitur alio membro nempe illo, & amicũ ledebas. Atq; hæc exornatio solis duobus membris constat, sed commodißima (ut idem ait Cice.) & absolutißima est quæ tribus constat membris, hoc modo. Et inimico proderas, & amicũ ledebas, & tibi ipsi non consulebas. Hanc græci κῶλον appellant. Compar exornatio est, quæ habet in se membra orationis, quæ constant ex pari fere numero syllabarũ, ut in prælio mortẽ pater oppetebat, domi filius nuptias comparabat. Item audatia Alexandro gloriã cõparuit. Sapientia Platoni laudem uendicauit. Agnominatio est, cum similitudine literarũ deflectimus uocẽ in contrarium, ut apud Teren. Inceptio est amentiũ non amantiũ. Item oneri potius q̃ honori. Hinc Ouidius dixit hac usus figura. Non honor est sed onus. Sueto. de Tibe. & Nero. alterum

Biberiũ, alterũ Meronẽ appellatos fuiſſe dixit. Hanc Cice. multis & uarijs ratiõibus confici dicit, literæ unius tum attenuatione, tum complexione, tũ productiõe tum & breuitate & alijs præterea modis fieri ait, ſed hic ad Cice. lectorẽ remitto breuitatis cauſa. Vt ergo ſumatim dicam, latiſsime hæc exornatio patet, quam græci παρανομασίαν appellant. Nominatio quæ dicitur à Cice. in rhetoricis ad Heren. à græcis ὀνοματοποιία uocatur, quæ & cõfictio nominis interpretari poteſt, inter maximas habita uirtutes apud illos, nobis (ut Quint. author eſt) uix permittitur. Ea aũt eſt, ut à Cice. definitur, per q̃ cui rei nomen non ſit, aut ſatis idoneum non ſit, eam noſmet idoneo uerbo nominamus aut imitationis, aut ſignificationis cauſa. Imitationis cum illis utimur, quæ πεποιημένα græcis dicuntur, à latinis factitia dici poſsunt. Significationis, cum uocabulo utimur tranſlato, quo melius rem aliquam exprimemus. Inde enim ſunt rudere, mugire, murmurare, ſibilare. Et à Virgilio taratantara dictum eſt.

Pronominatio eſt, quæ cognomic quodam extraneo dicit aut demonſtrat, quod ſuo nomine appellari non poteſt, aut non debet, ut ſi quis Grachos ſignificare uolens, Africani nepotes dicat. [Sic & Poëtam pro Homero uſurpamus. & philoſophum pro Ariſtotele, & Apoſtolum pro paulo. Hæc à Græcis ἀντονομασία appellatur poëtis q̃ oratoribus familiarior. Denominatio eſt, quæ à propinquis & finitimis re-

mis re-

mis rebus trahit originem, qua res poſsit intelligi, non ſuo uocabulo appellata, ut pro libero patre uinum, pro Cerere frugem. Hæc à græcis μετωνομία appellatur. Abuſio eſt, quæ uerbo ſimili & propinquo pro certo & proprio utitur, ut ſi quis dicat, uires hominis breues ſunt, aut parua ſtatura, cum ut hic pro parua abuſiue longa dicitur, ita illic pro breues parue dicatur. Vnde græcis hæc κατάχρησις dicitur. Defectio, cum græci ἔκλειψιν uocant, ea eſt, quoties uerbum aliquod in oratione deeſt, quod tamẽ neceſſario requiritur ad plenam ipſius orationis intelligentiã, ut apud Terentium. Ego ne illã, quæ me, quæ non? Item apud Virgili. hæc ſecum, deeſt hic loquitur uerbũ. Et apud Iuuenalẽ. Græculus eſuriens in cœlũ iuſſeris, ibit. Deeſt hic ſi coniunctio, ut uult Priſcianus. Reticentia, quæ defectioni eſt cognata, ea eſt quoties interrumpitur oratio ueluti ex affectu loquẽtis. Vt apud Virgi. Quos ego, ſed motos præſtat cõponere fluctus. Hãc græci ἀποσιώπησιν Cicero præciſionem uocat, ſed & reticentiã nõnunq̃, ut uult Quintilianus. Permutatio eſt, oratio aliud uerbis, aliud ſententia demõſtrans, fitq; tribus modis, per ſimilitudinẽ, per argumentũ, per contrarium, Per ſimilitudinẽ, ut lupus eſt in fabula. Per argumentũ ut ſi quis Numitorem obſoletũ dicat. Per contrarium ut ſi quis hominem prodigum & luxurioſum parcum & diligẽtem appellet ἀλληγορίαν ex græcis quidem eam uocant,

DE EXORNATIONIBVS SENtentiarū, hoc est ijs quæ sententijs magis seruiunt q̃ uerbis.

SEquuntur exornationes sententiarum, quas græci schemata διανοίας uocāt. Ex his prima sese offert nobis interrogatio. Interrogatio est (ut Cicero eam definit) per quā tū enumerata sunt ea quæ obsunt causæ aduersariorū, confirmamus superiorem orationem. Et hæc si simplex est, non recipitur inter schemata rhetorica, ut sic rogare (quem admodum Quintilia. tradit lib. nono) Sed uos qui tandem, quibus aut uenistis ab oris? sed illa (ut idem deinde prosequitur quod dicere cœpit) quæ non sciscitandi gratia assumitur, sed instandi, ut quid tuus ille Tubero districtus in acie pharsalica gladius agebat? Et quousq; tandem abutere Catilina patientia nostra? Et patere tua consilia non sentis? Hanc græci πῦσμα, aut ἐρώτησιν appellant. Subiectio est, cum quid aduersus nos, aduersariosq; nostros dici possit, quærimus & quod dici oporteat mox subijcimus, ut Eum ne tu hominē appelles, qui si fuisset homo, non sic uitā hominis insectaretur? Eandē Melanchthon paucis ita definit. Subiectio est, cū ipsi respondemus nostræ interrogationi, ut sum pius, heu doleo. Nam mihi sæpe nocet. Ad id responsum est quod dixit. Sum pius, heu doleo, si quis rogaret, cur doles? Græci ἀνθυποφορὰν appellant. Sed & hic te remitto ad Cicerone, unde exēpla petas ut fortaßis magis lucida, ita multo longiora

q̃ nostra,

q̃ nostra, qui breuitati studemus. Exclamatio est, quæ conficit significationē aut doloris aut indignatiōis per hominis, aut uerbis, aut loci, aut tēporis, aut rei cuiuspiā cōpellationē. Hominis, ut te nunc alloquor Africanæ, cuius mortui quoq; nomen splendori & decori ciuitati est, & ita de alijs. Item o tempora, o mores? Huic confinis esse uidetur ea figura, quæ à quibusdam insultatio dicitur. Qua Virgilius usus est in quarto Aeneid. I sequere Italiā uentis, pete regna per undas, & Ouid. in epist. quæ est Phedræ ad Hippo. I nūc & meritæ lectū reuerere parentis. Dubitatio, quæ à Græcis ἀπορία dicitur ea est, cū dubitare & nescire nos quicq̃ significamus ut Equidem quo me uertam nescio, Hanc Cicero fieri dicit cum querere uideatur orator, utrum de duobus potius, aut quid de pluribus potißimū dicat. Vt tu istud ausus es dicere homo omniū mortaliū, quæro quonā te digno moribus tuis appellem nomine? Cōmunicatio est (ut à Quintiliano definitur) cum ipsos aduersarios consulimus, aut cū iudicibus quasi deliberamus, quod est frequentißimū. Vt quid suadetis? Et uos interrogo, quid tandem fieri oportuit? Hanc Græci uocant ἀνακοίνωσιν. Permißio, quæ (ut uult Quin.) ex eodē uelut fonte fluit, ex quo cōmunicatio, unde & illi confinis est, ea ipsa est, cū aliqua ipsis iudicibus relinquimus æstimanda, aliqua nonnunq̃ aduersarijs quoq;. Vt uobis iudices cogitandū reliquo, quid hinc respub. detrimenti acceperit. Hanc Cicero paulo aliter definit sed

in eundē ferè sensum, tum in dicendo ostendimus nos rē aliquā totā tradere & concedere alicuius uoluntate. Quidā eam ex græcis appellari aiunt ἐπιτροπήν.
Licentia est, cū in oratione ueluti abutentes libertate, nobis authoritatē & fidem conciliare studemus, ut est illud Ciceronis in oratione pro ligario. Suscepto bello Cæsar, & gesto etiā ex parte magna, nulla ui coactus consilio ac uoluntate mea, ad ea arma profectus sum, que erant contra te sumpta παῤῥησίαν græci hanc uocant. Auersio est, cū ad aliquē conuertimus sermonē, hoc est ut Quintili. de ea loquitur lib. nono, cum non sensus mutatur, uerū forma eloquendi, ut Decios, Marios, magnosq; Camillos, Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar. Hic poëta sine figura dixisse, & Cæsarem. Occupatio est, cū simulamus nos aliquid præterire, aut non scire, aut nolle dicere, id quod tum maxime dicimus, ut Non ut dicā te à socijs pecuniā accepisse. Ita non sum in eo occupatus, quod ciuitates, regna, domos onium depopulatus es, Furta rapinas omnes tuas omitto. Hæc a græcis παράληψις dicitur. Sunt qui eam præteritionem appellent.

DE EXORNATIONIBVS TERTII generis iuxta distinctionē Melanchthonis.

RESTANT exornationes tertij generis, quibus non modo oratio figuratur, sed simul etiā amplificatur tum uerbis

uerbis tum ſententijs. Hic illud cum primis obſeruandum, quod amplificatur oratio aut per ἄυξησιν, cum ſcilicet uerbo ſublimiore & ampliore utimur, q̃ res exigit. Vt cum improbũ hominẽ, latronem dicimus. Aut per ταπείνωσιν ſeu μείωσιν id eſt per extenuationẽ ſiue diminutionẽ, ut cum dicimus leſiſſe, qui uulnerauit. Ex his exornationibus primus locus tribuit interpretationi. Interpretatio eſt, quæ non iterans idem re integrat uerbũ, ſed cõmutat quod poſitum eſt alio uerbo, quod idẽ ualeat, hoc eſt, cũ multa uerba eiuſdẽ fere ſignificationis eidem attribuũtur, ut rempubli. radicitus euertiſti, ciuitatem funditus deieciſti. Hanc quidam συνωνυμίαν Quintilianus uerborũ congeriẽ uocat. Diffinitio eſt, quæ rei alicuius proprias amplectitur poteſtates breuiter & abſolute. Vt Maieſtas Reipub. eſt in qua continetur dignitas & amplitudo ciuitatis. Hæc a græcis ὁρισμὸς dicitur. Demonſtratio eſt, cum ita res uerbis exprimitur, ut geri negotiũ & res ante oculos eſſe uideatur. Vt pilã emittunt, ſeſe umbonibus contegunt, gladijs cominus certãt. Græci hanc ἐπιδείξιν uocant. Significatio eſt res, que plus in ſuſpicitione relinquit, q̃ poſitum eſt in oratione. Hoc eſt cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur quod ſignificatur tãtum non etiam dicitur. Vt apud Virgiliũ Non licuit thalami expertẽ ſine crimine uitam degere more feræ. Hæc a græcis ἔμφασις dicitur. Confirmatio eſt, cũ aliqua quæ non adeſt perſona confingitur, quaſi adſit, aut

cum res

cum res muta aut informis fit eloquēs & formata, ut Scipio si reuiuiscat, dicet, ego urbi pacem peperi, uos bella concitastis. Et apud Ouidiū. Iam nostros curui norunt delphines amores. Effectio est, cum exprimitur & effingitur uerbis corporis cuiuspiam forma, quoad satis sit ad intelligendum, ut erecta fronte, rubicundis oculis aduncis narribus &c. Hæc græcis χαρακτηρισμός dicitur. Vtitur autem hac exornatione Suetonius in descriptione uitæ cuiusq; Cæsaris a Iuli. Cæsare orsus ad Domicianū usq; Cæsarem. Gradatio est, in qua non ante ad consequens uerbum descenditur, q̃ ad superius conscensum est, ut Nam quæ reliqua spes libertatis, si illis & quodlibet licet, & quod licet possunt, & quod possunt audent, & quod audent faciunt, & quod faciunt, uobis molestum non est. Hæc a græcis κλίμαξ dicitur. Transitio est, quæ cū breuiter ostēdit, quid dictū sit, proponit item breuiter, quid consequatur. ut modo in patriam, cuiusmodi fuerit, habetis, nunc in parentes qualis extiterit, considerate. Item hactenus de belli periculis, nunc de incōmodis dicemus. A græcis hæc μετάστασις uocatur. Correctio est, quæ tollit id quod dictū est, & pro eo id quod magis idoneum uidetur, reponit, hoc modo. Quod si iste suos hospites rogasset, imo innuißet modo, hoc facile pfici posset. Item perfricuit ille frontem, imo ne habet quidem frontem. Hæc a græcis ἐπανόρθωσις dicitur. Interpositio figura est notißima & uulgo ferè cognita. fitq;

dum in

dum in oratiõe aliquid declarandi gratia interponitur: ut apud Virgilium in primo Aeneidos. Aeneas (neq; enim patrius cõsistere mentẽ passus amor) rapidum ad naues premittit Achatem. Hanc græci (ut Quinti. lib. nono ait) παρένθεσιν uocant. Ex latinis alij interpretationẽ, alij interclusionem, quam & ipse tunc fieri dicit, cum continuationi sermonis medius aliquis sensus interuenit. Contentio est, cum ex contrarijs uerbis sententia conficitur hoc modo. Habet assentatio iucunda principia, eadem exitus amarißimos affert. Item inimicis te placabilem, amicis inexorabilem prebes. Item in ocio tumultuaris, in tumultu solus es ociosus. Hanc græci ἀντίθετον aut etiam ἀντίθεσιν uocant. Circuitio est oratio rem simplicem assumpta circumscribẽs elocutione, hoc modo. Scipionis prouidentia Chartaginis opes fregit. Sic Iuuenalis, nec mite Thaletis ingenium. Hanc græci περίφρασιν appellant. Ex latis (ut ait Quintilianus) quidam circuitum uocant. Expositio est (ut Cice. eam definit) cum in eodem loco manemus; & aliud atq; aliud dicere uidemur. Idq; fit modis duobus, si aut eandem plane dicimus rem, aut si eandem rem dicimus, sed non eodẽ modo. Nam id obtundere est auditorem, non rem expolire. Ergo cõmutare deberemus. Cõmutabimus aũt tripliciter, uerbis, pronuntiando, tractando. Verbis quidem, cum res semel dicta iterum aut sæpius alijs uerbis. quæ idem ualeant, profertur hoc modo. Nullum tantũ est periculum, quod

sapiens

ſapiens pro ſalute patriæ uitandũ arbitretur. Idem ſed alijs uerbis. Qui bonis eſt rationibus præditus, profecto nullum diſcrimen uitæ ſibi pro fortunis reipub. fugiendum putabit. Pronuntiando, ſi tum in ſermone, tum in acrimonia tum in alio atq; alio genere uocis geſtusq́; eadem uerbis cõmutando uehementius pronuntiauerimus. Tractando, ſi ſententiam traijciamus, aut ad ſermotinationem, aut ad exuſcitationem. Sed huius ultimæ partis exempla ex Cicerone petantur potius q̃ hic adſcribantur prolixitatis uitandæ gratia. Scientia eſt oratio, quæ aut quid ſit, uel quid eſſe oporteat in uita, breuiter oſtendit, hoc modo domat omnia uirtus. Item difficile eſt eum uirtutes reuereri, qui ſemper ſecunda fortuna ſit uſus. Itẽ liber is eſt exiſtimandus, qui nulli turpitudini ſeruit. Hanc greci γνώμην uocant. Commoratio eſt, cum in loco firmiſſimo, quo tota cauſa continetur, manetur diutius, & eodem ſæpius reditur. Hac uti maxime cõuenit, atq; id oratoris boni maxime propriũ eſt. Huic ſane exornationi (Cicero ait) ſatis idoneũ exemplũ ſubijci non poteſt, propterea q; hic locus non eſt à tota cauſa ſeparatus, uelut membrũ aliquod, ſed tanq̃ ſanguis profuſus eſt per totũ corpus orationis.

Hæc ſunt quæ de exornationibus ſiue ſchematibus rhetoricis in præſentiarũ habui, & ijs quidem, quæ mihi magis familiares uidebantur, proindeq́; huic noſtræ inſtitutioni adijcerentur. Reliquas ſtudioſus lector apud Ciceronem & Quintilianum aliosq́; huius artis

ſcriptores

ſcriptores, imo & apud Diomedem grammaticum requirat, ſimulq; boni conſulat interim has noſtras qualeſcunq; lucubrationes.

Finit Tractatus Septimus & ultimus.

Impreſſum Cracouiæ per Mathiam Scharfenbergium, opera & impenſis proprijs. Anno domini. M. D. XXXVIII.